HIPPOCRATES
DE NATVRA
LACTIS

ET DE VSV IN CVRATIONIBVS
Morborum.

Authore RAYMONDO RESTAVRANT, Sanct-Spiritensi, necnon Vniuersitatis Monspeliensis Doctore Medico.

PARS PRIMA
DE NATVRA LACTIS.





ARAVSIONI,

Typis Calcographi Celsitudinis suæ, & Vniuersitatis.

M. D. C. LXVII.



ILLVSTRISSIMO VIRO

D. D. PETRO DE MARIDAT

IN MAGNO CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIO

SENATORI INTEGERRIMO.



VO, præ cæteris mouerunt me (SENATOR INTEGERRIME) *exercitationem istam medicam sub Tuis auspicijs in lucem edere: Primum, vt, quos nominis mei tenuitas ad contemptum, patrocinij grauitas & commendatio promouere poßit ad cultum. Inermis enim est in eos ingenij fœtus inuidia, quos Tua seruas clientela; & ijs una eademque sors manet ac templis*, quorum terminos nullus nisi purus transcendit, *quisque veneratur & colit*, * Plinius, Hipp. lib. de morb. sacr.

quia superis dedicata sunt. Consuluisti tanto literatorum & Tuæ gloriæ emolumento eadem industria qua populis, queis supremũ iudicem præbere Te voluit Rex Christianissimus in Magno suo Consilio. Collegisti sparsas vtriusque non modò iuris, sed cæterarum etiam scientiarum diuitias, non tam in nobili illo bonarum artium & sapientiæ veluti Palladio quod apud Te summo Reipublicæ literariæ decori, publicæque fautorum vtilitati, magnis sumptibus erexisti, quàm cerebro, quod præterea omni virtutum genere ditarunt superi; Hinc noscis è rerum limine, omnium iura, antequam clientelæ Tuæ gratiam conferas, ne falso vel vili fruendam præbeas; vtque dum istis opem affers, commendas Te tempori, de quo semper bene mereris; dum illos foues & à telis inuidiæ securos facis, vtroque titulo præ cæteris Te commendas quam mereris, æternitati. Alterum quod me mouet hanc exercitationem medicam clarissimo nomini Tuo inscribere, summa est quâ familiam nostram iamdudum honoras tuerisque beneuolentia: Pugnauit vnus illius sub Tuæ crucis auspicijs in puluere Sorbonæ, vbi descripta, inter angu-

ſtioris chartæ aream longa ſerie virorum illuſtrium qui in ſanguinem Tuum confluxere vt in Te illuſtriùs reuiuiſcerent, lauream obtinuit; Alius detecta in foro magni Conſilij litigatricis ſolertiæ infenſiſſimi clientis verſutia, optatæ pacis virentem oleam; Me verò licet immeritum nuper Pariſijs tanto cumulaſti humanitatis & beneuolentiæ munere, vt per id temporis præcipuum Te ſuffragante votorum meorum finem adeptus ſubmiſſæ, obſtrictaque in Te domus noſtræ monumentum in lucem edendi, gratum onus in me recumbere, non ſine cauſa, exiſtimauerim. Cùm ergo fœlix fauſtaque meis partibus dies nunc luceat, huic faue (*VIR ILLVSTRISSIME,*) *ſed quod humili animo, & majori qua poteſt reuerentia vouet*

Tibi deditiſſimus & addictiſſimus
RAYMONDVS RESTAVRANT
Doctor Medicus

LECTORI.



VSVS lactis tantùm inualuit apud medicos huiusce sæculi (LECTOR,) vt quidam spreto morborum discrimine, in cæterorum remediorum suppetias adducendum esse, importunè promulgare non vereantur. Vnus è nostris dum in Bubuli laudes totus rueret, pro curatione arthritidis, ea prehensus, cæteris cibis despectis sese illi commisit, & nescio quo fato, vacca superstite, non sine spectatorum ludibrio sublatus est; Ne ergo imposterum *tam grauia in nostris aedibus contingant naufragia, & vindices pœnæ medentibus præsto sint*, decreui quid *Hipp. & vera ratio dictent* de illius natura & vsu in hac exercitatione paucis *attendere.* Erunt autem plurima sine dubio, in ea quę omnibus à prima fronte non satis erunt ad palatum; Mouebitur alius magnitudine tituli, contractaque in intimis

Democrit. ad Hipp. Plato in Tymæo.

præcordijs bile damnabit arrogantiæ; Illi, odio erit insolita doctrinę ratio; isti, tædio morborum & remediorum inutilis (vt aiet) enarratio, qua libellum putabit iutumescere; quæret alius remedia ex Hipp. pro morborum curatione descripta, vulgaribus formulis accommodari: Vt autem detecta instituti mei ratione, omnibus ex æquo faciam satis: Hanc exercitationem (Lector) in duas partes distribuam, in quarum prima, sumpto, è libro de natura pueri, commentariorum meorum textu, naturam lactis describam: In altera, ducto, ex aphorismo 64. sect. 5. commentariorum meorum textu, docebo primùm, in quibus morbis lac exhibere nocet, postea, in quibus prodest; Addam, nec immeritò, nonnulla remedia, vt mutationem aëris, aquam marinam, cauteria, de quibus non leuis est inter medicos huiusce sæculi controuersia: vt horum animo Hipp. doctrina, illis egentium, remediis mihi conciliem. Insolita quidem (fateor) in quibusdam erit doctrinæ ratio: attamen è purioribus Hippocra-

ticæ doctrinæ fontibus hausta, nec difficilis intellectu, maximè, edito in lucem HIPPOCRATE cuius Phisiologicæ partis œconomiam reperies in fine exercitationis nostræ de vsu vini emetici in curatione febrium malignarum anonimo auhore Parisijs nuper impressę. In eo enim afferetur, quidquid hîc Phisiologię & Pathologię desiderari posset. Quod spectat ad explicationem morborum quorundam qui continentur in hac exercitatione, maximè *Typhos*, *Morbi hepatici*, *fluorum*: vix fieri potuit HIPP. expositurus quin eam in medium adducerem, ne quis lactis vsum in alijs morbis, quàm ab HIPP. tacitè vel apertè in aph. recensitis vtilem esse, meque vel sponte oblitum, vel ignorasse promulgaret. Quod attinet ad cætera remedia maximè purgantia quę afferuntur ex HIPP. quisque propria suis ægris, vt & lac coctum vel crudum, cum sacharo, serupo, vel mulsa præscribere videat; *N*eque enim HIPP. verba nec mentem, vel minimùm immutare mihi licuit. Interea monitum Te esse velim, (LECTOR:) Primò differentiam esse apud HIPP. in-

ter catharsim, hypercatharsim, & hypocatharsim. Catharsis nihil aliud est quàm purgatio medicamento purgante vt veratro facta, quæ si immodicè humores subducat, Hypercatharsis nuncupatur: Est autem præterea Hypocatharsis, idest, suppurgatio Hipp. familiaris, quæ lacte potissimùm asinino, aut sero fit: Hoc enim altera die post purgationem copiosè ingestũ, si quid humorum peccantium ex ea superest, per aluum deturbat, & veluti purgationem conficit; Qua in re non parum videtur conferri ægrotantibus, queis calor purgantium vsu concitatus extinguitur: Secundò, dum aliquem ad tabem vergere aio, non solùm de ijs qui peculiari corporis conformatione in epidemicis scripta, sed etiam qui temperie calida & sicca ad eam propensa nati sunt, maximè in ætate illi congenere putâ in iuuentute intelligendum esse: Quod si præterea quem vexêt tituli grauitas quo exercitationem istam superbire contendat, viderit ille, num Hippocratis mentem rectiùs assequatur, & si ita sit, in lucem edat, nec tanti beneficij egenos nos esse longiùs ferat.

Lib. 2.

HIPPOCRATES
DE NATVRA LACTIS & de vſu in curationibus morborum.

Pars Prima,

DE NATVRA LACTIS.



VM autem fœtus mouetur, tunc ſanè lac de ſe ſignificationem matri exhibet. Hipp. lib. de nat. puer. *Mammæ enim attollantur & papillæ turgeſcunt. Et mulieribus quidem quæ denſo ſunt corporis habitu, tardior eſt lactis ſignificatio, ſeriùſque fertur, citiùs verò his quæ rarum habent corporis habitum. Lac autem propterea neceſſariò gignitur. Cum vterus fœtu intumeſcens mulieris ventrem comprimit, ſi eo pleno compreſſio illa contingat, quod in cibo & potu eſt pinguiſſimum foras*

iu omentum prosilit. Ac veluti si corium copioso oleo perunctum quis imbibi sinat, eoque imbibito corium premat, quo compresso foras oleum exilierit: sic certè vbi venter pinguedinem à cibis & potibus continet, & ab vtero comprimitur, quod pingue est in omentum & carnem transilit. Et si raro habitu mulier fuerit, hanc exudationem faciliùs percipit, sin minùs tardiùs; quin & pecora cum vterum gerunt nisi morbo aliquo laborent, potu ciboque ob eam causam pinguiora euadunt, itidemque mulier. Pingui namque incalescente & candido effecto, quod vteri calore edulcatum est, in mammas expressum tendit, & in vteros quoque exigua portio per easdem venas fertur. Ad mammas enim & vteros ejusmodi venula & consimiles feruntur. Cumque ad vterum peruenerit, lactis formam habet, eoque exiguo puer fruitur. Mammæ vero vbi lac exceperunt, attolluntur & implentur. Atque vbi mulier pepererit, suppeditato motus initio, lac in ipsas mammas fertur, si puerum lactauerit. Sic enim se res habet. dum mammæ exuguntur, venæ quæ ad

eas tendunt, ampliores, redduntur, & ampliores effectæ quod pingue est à ventre attrahunt, & in mammas transmittunt. Vir namque si venerem crebrò exerceat, ampliores venæ redditæ semen attrahunt.

Ad facilem hujusce textus intelligentiam, sequentia laconico sermone ad mentem hippocratis præludenda sunt.

Lac nihil aliud est, quàm substantia humida, dulcis, alba, quatuor humoribus corporis naturam constituentibus proportione respondens, eorumque materia, quæ in ventre generatur, ex cibis & potibus, & inter venarum plenitudinem, per vasa lactea in vterum grauidarum, & in mammas lactentium exprimitur, attrahiturque, ad nutritionem fœtus in vtero & extra vterum existentis.

Quod lac substantia sit alba, dulcis, humida, sensibus patet: quod quatuor humoribus proportione respondeat, eorumque materia sit, docet hipp. qui sic effatur: *vbi totus corporis habitus conturbatur, idque vis præstat, & siquidem homo repurgatur, de conturbato humore, quantùm plus æquo abundat, secernitur. Istud verò similiter se habet, vt id quod ex lacte equino schyta conficiunt. Lac enim in vasa caua lignea affusum agitant, conturbatum verò spumescit & separatur, & pingue quidem quod butyrum vocant, cum leue sit, in summo seponitur, graue verò & crassum subsidet, quod* *4 de morb.*

etiam separantes siccant, quod verò concretum fuerit, hyppacem vocant, lactis verò serum, medium locum tenet. Ad hanc verò etiam modum in homine commoto humore quidquid in corpore continetur ab his principiis quæ dixi omnia seponitur, & bilis quidem cum sit leuissima in superficiem discedit, secundo loco sanguis, tertio pituita, ex his autem humoribus maximè grauis est aqua.

Et hocce textu facilè constat, in lacte, quatuor esse substantias, quatuor humoribus proportione respondentes eorumque materiam, quarum leuissima supremam illius post validam agitationem in vase concrescentis superficiem occupans, butyrum nominatur & bili respondet; alia grauior crassiorque caseus dicta, sanguinem verum & pituitam æmulatur; vltima medium locum ambiens, serum vocant, melancholiæ naturam gerit.

in Tymæo. Quod lac generetur in ventriculo ex cibis & potibus *hipp. & vera ratio dictant*, vt ait Plato.

Illud enim generatur in ventriculo ex cibis & potibus, quod generatur ex redundantia alimenti in eo contenti: Atqui tale est lac: ergo generatur in ventriculo ex cibis & potibus.

lib. de alim. Major ex se nota est: minor, hippocratis authoritate firmatur ait enim: *lac, & sanguis alimenti redundantia.*

Ibidem. Dicet aliquis; Triplex esse corporis alimentum apud hipp. quorum primum, alimentum dicitur, *quod alimentum futurum est*, idque duplex, *siccum & humidum*, idest cibus & potus;

alterum, *quod alimento est proximum*, massa nimirum sanguinea, quatuor humoribus inuicem permixtis & temperatis constituta; Tertium, *quod alit*; par nimirum partibus nutriendis substantia, iuxta eas attracta: ac proinde sanguinem, ex alimenti quod alimentum futurum est, idest, ex ciborum & potuum redundantia in ventriculo generari, lac verò ex redundantia alimenti quod alimento est proximum, nimirum ex sanguine in mammis attracto: sed contra: sequeretur enim, quod lac esset sanguis corruptus, cum ex sanguinis corruptione generaretur; At hoc est falsum, lac enim est *sanguis concoctus* nimirum pinguior chili pars, *non autem corruptus* vt ait Arist. qui præterea contra Empedoclem sic insurgit *Empedocles verò aut non rectè putauit, aut non benè vsus est verbo translatitio, cum dixerit*: 4. de Gen. anim. c. 8.

Octaui decimo mense pus extitit album.

Putredo enim concoctioni contraria est, pus autem putredo quædam est. Lac verò res concocta prorsus, nec lactantibus fiunt purgationes secundùm naturam, neque lactantes concipiunt, & si conceperint, lac extinguitur, quoniam eadem lactis & menstruorum natura est. Natura autem non tam largè profundere potest, vt anceps sit; sed si in alterutram partem secernitur, in alteram desit, necesse est, nisi quid acciderit violentum, & præter id quod solitum magna ex parte est.

Hoc textu patet; non modò, lac rem esse concoctam, non autem sanguinem corruptum, sed etiam, dum ex alimento secernitur & ge-

neratur in ventriculo, non generari sanguinem è quo menstrua fiunt, nec pariter, dum sanguis producitur è quo menstrua, lac fieri: quia communis est vtrique materia, nempe alimentum contentum in ventriculo, cuius pinguior tenuiorque portio in venas lacteas exprimitur, vt per eas in vterum & mammas deferatur ad *significationem lactis* vt ait hipp. alia in venas corporis nutriculas subit ad sanguinis procreationem.

Arguet quispiam: lac dici posse rem concoctam non autem sanguinem corruptum, ex eo quod, licet forma sanguinis in lactis generatione corrumpatur, nouam in mammis à facultate lactis procreatrice adipiscitur. Sed contra: si enim in mammis esset facultas quædam sanguinem in lac conuertens: cur hæc sanguinem menstruum per papillas mammarum aliquando profluentem in lac non conuertit? cur *quibus sanguis in mammis colligitur*, lac non
Hipp. 5. aps. 40. generatur, sed *insania denunciatur*?

Dicét fortassis: hanc facultatem aliquando otiari: At si tale contingat, quomodo in non grauidis, nec puerperis, menstrua suppressa habentibus non otiatur, sed s[illegible]nguinem in lac permutat, si ita contingat? sed si mox otietur, mox operetur pro dicentis arbitrio, quomodo in fœminis quibus ablatæ sunt mammæ lactis generatio fieri poterit? Anne hoc facultas organis destituta operatur, aut in alias corporis partes migrat, sedemque figit, dum organa corrumpuntur? quod autem lac generetur in mu-

lieribus quibus ablatæ sunt mammæ, docet hipp. his verbis: *mulieres quibus per magnam calamitatem mamma aufertur, & vox ferox efficitur, humoresque ad gulam deferuntur, multa sputatione vexantur, caput dolent, & ex iis ægrotant; lac enim ab vtero veniens & influens quemadmodum etiam antea ad superiora vasa transmittebatur, cum ea propria non habeat, in principes corporis partes incidit, cor videlicet & pulmonem, & suffocantur.* lib. de Gland.

Subdet: hippocratem non loqui in prædicto textu de vtraque mamma, sed tantum de vna, cum loquatur in singulari; sed contra: In plurali enim loquitur, dum ait: *sit lac ab vtero veniens & influens propria vasa non inueniat, quemadmodum etiam antea ad superiora transmittebatur, per venas in cor subire & in pulmonem,* quo lactè miseræ mulieres suffocationis discrimen incurrunt, vt aliàs diximus.

Et certè sequeretur inde, quod si prægnans vtraque mamma orbaretur, careret lacte, quod est absurdum: sic enim fœtus nutritioni in vtero, ac proinde integræ illius gestationi non esset satis; fœtus enim contentus in vtero, vt dicetur posteriùs, *exigua lactis portione fruitur*; superest ergo, vt lac citra mammarum opem in corpore generetur. Quod si quis dicat prægnantes mammis in totum orbatas integræ fœtus gestationi in vtero sufficere non posse ob lactis defectum: absurdius sanè. Videmus enim sæpissimè grauidas, si non mammis, saltem lacte penitus destitutas, cæterarum instar quæis lac in mammis abundè coaceruatur, validiores

crassioresque fœtus in vtero gestare & per debitum tempus lacte nutrire.

His accedet hæc ratio ex hipp. desumpta; mammarum est, vt cæterarum glandularum corporis plenitudini conferre, mammarum quidem *anteuertere* vt ait hipp. ergo non producere lac, sed productum in ventre, trahere & suscipere pro nutritione fœtus quod satis superque patet; Si enim quod plenitudinem anteuertit, id præstet antequam plenitudo fiat, quæ oritur à copia sanguinis (alioquin non anteuerteret, sed factam aufferret, vt hæmorroidum, narium & vteri profusiones queis sanguis deperditur,) mammæ quæ plenitudinem anteuertunt, id præstare debent, subductione lactis è ventriculo pleno sese comprimente in eas ob fungosam substantiam attrahentes expressi, quo attollantur & inflentur; Ergo lac ex sanguine mammas implente non conficitur, sed aliunde nimirum ex ventre fertur, vt eas attollat. Ad hæc; si lac orſeretur ex sanguine lactis formam in mammis adipiscente, sequeretur quod alimenta quæ, verbi causa, hodierna luce ingeruntur, lactis formam assequerentur in mammis altera vel tertia die; cum sanguis qui ex alimento ingesto producitur, altera tantùm die ad superas corporis partes plus quã par est non famescentes distribuatur; imo reliquiæ illius qui ad mammarum nutritionem attrahitur, tertia tantùm die, quæ idcirco *natura lex* dicitur ab Arist. ex earum substantia ad ventrem & intestina retroferantur: Attamen

Hipp. lib. de gland.

tam cita & tam copiosa est aliquando generatio lactis, vt pauco tempore post cibos ingestos ea quantitate è mammis luxuriet, quæ sanguinis in toto corpore stagnantis copiam fere superat, vt in vaccis & in quibusdam mulieribus, experientia sæpe innotuit.

Dicent: hanc lactis copiam proficisci è sanguine, qui, dum noua alimenta ingeruntur & digeruntur in ventriculo, derepente impellitur in mammas, quia nouus humor suggeritur ex ijs & in alterius locum substituitur; sed contrà; Sequeretur enim: primò quòd lactis è muliere effusi copia sanguinis in ea contenti copiæ responderet, vt dictum; Secundò, eodem tempore quo alimenta digeruntur in ventriculo, lac alimentorum qualitatibus non impregnaretur; quod tamen ita contingit, vt si medicamentum purgans à nutrice fuerit haustum, puerum validè purget antequam in venas nutricis distribuatur, quam nullo ferè modo purgat. Hincque ait Hipp. *si mulier aut capra elaterium deuorarint, pueri purgantur.* 6. Epid. sect. 5. text. 33.

Obijcies; Hippocrates videtur probare lac fieri è sanguine, his verbis; *vbi autem pregnans est mulier, ei menses fere prodire non solent, præterquàm nonnullis pauci. Quod enim ex cibo & potu in sanguine est dulcissimum, ad mammas vertitur, ac veluti exugendo trahitur reliquumque corpus magis vacuari minùsque sanguine redundare necesse est:* Ergo lac generatur ex sanguine dulcissimo ad mentem Hippocratis.

Respondeo, versionem superioris textus à

Do. Foesio viro de Hyppocratis doctrina meritissimo factam, non satis esse legitimam. Neque enim Hipp. in Græco scripsit, ἐν τῷ αἵματος id est, in sanguine, sed ἐν τῷ ὑγρῷ quod nomen ipso annuente Fœsio omnem humorem sonat in quouis corporis loco stagnantem, vt textus hoc modo restitui debeat: *quod enim ex cibo & potu in humore* (qui generatur in ventriculo) *dulcissimum est, ad mammas fertur*; & proinde lac nihil aliud si quàm dulcissima chili portio quæ in ventriculo è cibis & potibus extrahitur: quod satis superque colligitur ex sequela textus qui sic affertur à Foesio; *quod hoc modo contigit, sunt autem quadam mulieres quæ lac non habent, easque lac ante tempus deficit, eaque solidam & densam carnem habent, adeoque cùm via densa sit, neque ex ventre ad mammas satis humoris deferuur*; queis patet, lac è ventre ad mammas deferri, ac proinde pinguiorem & dulciorem chili partem esse, quod satis superque firmatur subsequentibus; ait enim Hipp. *lac autem quomodo gignatur, à nobis dictum est in libro de natura pueri*: in quo vt mox aperietur, lac nihil aliud esse docet Hipp. quàm dulcissimam & pinguissimam chili in ventriculo stagnantis portionem, quæ inter venarum plenitudinem in vasa lactea, ex iisque in mammas & vterum deriuatur: in vterum quidem grauidarum, vt puer in eo nutriatur per os: ad mammas, vt dum natura, nimiæ venarum plenitudini, fœtus extra vterum existentis nutritioni prouideat. Quòd enim lac pinguior sit chili pars quæ in prima concoctio-

tis ex alimentis in ventriculo facta in corpus prosilit, patere videtur ex hipp. qui sic effatur: *quod dum incalescit primum omnium diffunditur* (quale est lac) *pingue est.* Quod verò hac eadem ratione portio sit dulcior chili quæ à propria natura facilè multúmque diffunditur, patet his hipp. verbis: *dulcia in pauca mole multum diffundunt.* Hincque etiam fit, vt lac facilè vertatur in bilem in corpore calido; quia pars est pinguior chili; *biliosum autem à pingui*, ait hipp. Lib. de car. 2. de nutras. 6. Epid. 6. 3

Hinc etiam *queis mulieribus sanguis colligitur in mammis*, lac non generatur ex eo, sed *insania denunciatur.* Quidquid enim dulcioris pinguiorisque chili producitur in ventriculo, in mammas non exprimitur per vasa lactea, sed deriuatur in venas in quibus facessit in sanguinem, cuius portionem dum mammæ coguntur lucrifacere eaque attolluntur, futuræ insaniæ non leue occurrit argumentum; in multo enim sanguine atræ bilis copia reperitur, iuxta hipp. textum: *Ex quibus sanguis, atra bilis*, qua cerebrum corrumpente insania fieri consueuit. 5. aps. 40 6 Epid. 6. 3

Hinc etiam mulieres lactantes crebris aliquando pustulis deturpantur à salso humore, propter dulciorem pinguioremque chili partem quâ similis sanguis enascitur, à fœtu exhaustam, in earum venis prædominante, & ad extremum corporis ambitum effuso: sedantur autem hæ pustulæ, cùm lactare cessant, ob temperatum dulcioris sanguinis permutatione salsum humorem æstiuo tempore: hoc enim

potissimum *microcosmi sole megalocosmici instar sese ad viscera deuoluente* externæ corporis partes humore nutriculo veris sequaci veluti tumescentes, h inutilem & morbosum sensim remittunt venas è quibus mira ignis partes externas internasque diu noctuque illustrantis vicissitudine per vesicam & aluum cum vrina & fœcibus subducuntur huiusce rei experientiam apud hipp. reperias, his verbis: *lactanti, pustulæ per totum corpus eruperunt, quæ ad statum* [æstiuum] *consederunt, vbi lactare desiisset* lac ergo non generatur à sanguine, sed est portio pinguior & dulcior chili, quæ dum in ventriculo comprimitur & à mammis attrahitur, si venæ corporis nutriculæ necessariò restagnent humore, ad mammas tendit per vasa lactea; sin minùs, in venas prædictas defertur citra lactis significationem in mammis; quod dissectione corporis vlteriùs confirmatur: si enim quis canes macilentos copioso cibo nutritos quatuor aut quinque horis post pastum euisceret, extaque consulat, lactis copiam in vasis lacteis inueniet; quia quidquid tunc temporis superest pinguioris alimenti in ventriculo ad vasa lactea exprimitur, cessante venarum plenitudine per ea seu per *radices* vt ait Arist. in venas deferendum. Quòd si substantiæ intra vasorum lacteorum cauitates albescentis coctione experientiam facere quis velit, num lac sit, nihil aliud esse comperiet.

2 epid. sed. 2.

4. de gen. re anim. cap. 4.

Quod autem vt lac, quod tum in viris tum in mulieribus generatur, in mammis mulierum sui significationem exhibeat, necessaria sit re-

pletio venarum per quas sanguis distribuitur non tantùm patet experientia supra scripta: sed etiam ex eo quòd, vt dictum, *mammæ corporis plenitudinem anteuertunt* subductione lactis è ventriculo, è quo facessere posset in venas: necessaria ergo est repletio earum citra quam mammæ vix vnquam lactis copia intumescere poterūt; hincque ait Hipp. *quibus nec grauidis nec puerperis lac in mammis apparet, menstrua suppressa esse debere*: ex sanguine enim menstruo à mammis attracto, aut in eas reuulso non generatur lac, sed ex illo in venas corporis nutriculas refluente plenitudo conciliatur, cuius periculum anteuertentes mammæ, dulciorem pinguioremque chili partem ad sese trahunt, quâ attolluntur & lac emittunt. Hinc etiam muliere molam in vtero gestante lac non apparet in mammis vt ait hipp. his verbis: *certum signum est molæ, quod fœminis in mammis lac non generatur.* Cùm enim mola in vtero, *natura certante de vita* generetur, sanguine nutriatur, & ex minimo incremento ad maximum perducatur: plethora in venis vix fieri solet quam mammæ debeant anteuertere subductione dulcioris & pinguioris chili. Idem accidit in primis mensibus gestationis fœtus. Licet enim pauca sãguinis copia ad trigesimum aut quadragesimum secundum diem in illius nutritione consumatur, is tamen, vel primo mense per vterum excernitur, vel in hepatis vterini molæ æmuli generationem facessit, nec plethoram ad vasa mulieribus conciliat, quam mammæ debeant ante-

Lib. de gland.

5 *aps.* 29

Lib. de nat. mul.

Arist.

uertere subductione lactis è ventriculo: Adde quòd, cùm fœtus dulcissima sanguinis portiuncula è matre per vmbiculum adueniente nutriatur: dulcissima portio chili, id est, lac in venas maternas trahitur è ventriculo, quo natura dulcissimi sanguinis veluti iacturam in matre restituat. Hinc etiam experientia probat in permultis nutricibus, quòd si solitæ victus rationi non indulgeant, nulla fera lactis significatio in ijs fit. Solito enim alimento fraudatæ corporis partes famescunt, venas corporis nutriculas exhauriunt, nullaque datur mammis occasio anteuertendi plenitudinem, subductione lactis è ventriculo: quòd si hæ nutrices solitam victus rationem etiamsi crassiorem denuò repetant, lacte quamprimùm diffluere solent. Vbi enim natura, similis solitique alimenti distributione è ventriculo in venas partesque famescentes sibi consuluit, fœtui prouidet copiosa lactis productione, cuius significationem in mammis intumescentibus præbet.

His satis superque constat, lac non solùm esse substantiam albam, dulcem & humidam, quæ in ventriculo generatur ex cibis & potibus sed etiam quæ inter vasorum plethoram in mammas exprimitur attrahiturque ad nutritionem fœtus extra vterum existentis: quòd autem deferatur etiam ad vterum pro nutritione fœtus in eo detenti, *Hipp. ratio & experientia dictant.*

lib. de car. Hipp. quidem, dum sic effatur: *At verò puer compressis labiis ex matris vtero, tum alimentum*

sugit, tum etiam spiritum, qui in puero calidissimus est, ubi sanè mater respirat, in cor attrahit. Ideft. At verò puer in vtero detentus non modò ad ignis sui nutritionem, spiratum à matre in vteri & membranarum huuc in voluentium cauitates per os & nares externum aërem trahit eumque calidiorem, vt pote cum loci calore frigiditatem deponat: sed etiam lac ore sugit ad corporis augmentationem. *Quòd si quis roget, vnde hoc quis noscit, quòd puer in vtero trahat & sugat, hoc illi respondere licet, pueri cùm in lucem prodeunt, stercus in intestinis habere conspiciuntur, & simul ac in lucem editi sunt, tum homines tum pecora, id iis per ventrem secedit: Atqui neque stercus haberet, nisi in vtero sugeret, neque vt puer primùm natus est, vbera sugere nosset, nisi in vtero suxisset*, idest, quòd si frustra in rebus sublimibus curiosus quispiam, & oculorum iudicio confidens, hoc, secretiora quæuis demonstrari debere contendat, vt ait Plato, & scire petat, qua via & quomodo fœtus in vteri & membranarum hunc inuoluentium ergastulo detentus lac ore trahat & sugat: Hoc illi respondere fas est, deficiente oculorum iudicio, menti rem esse committendam: Atqui puer in vtero detentus fæces in intestinis gerit, quas ferè statim ab exitu ex vtero, imò & ante ipsum exitũ nigerrimas excernit, vt ego bis expertus sum, admotus vberibus, lac apprimè sugere noscit: Ergo lac suxit in vtero; quod prædictis fæcibus materiam præbuit. Et certè à quanam alia causa fœces istæ possent procedere: Non à

in Tymæo.

ſanguine per venam vmbilicalem è maternis venis attracto: Hic enim venularum corporis ſeu *aquaductuum* miniſterio ad partes corporis deriuatur, pro illarum *irrigatione*: quod ſi aliquid ſanguinis in inteſtina per dictas venulas effunderetur, diuelleret eorum ſubſtantiam & putreſceret, iuxta Hipp. effatum: *Si ſanguis in ventrem effuſus fuerit, ſuppuretur neceſſe eſt.* Sed præter has rationes ex Hipp. deſumptas, aliæ veniunt in conſpectum, quæ ſatis ſupérque patefaciunt, fœtum lac in vtero ſugere: Si enim fœtus non nutriretur lacte per os dum in vtero degit, ſed ſolo ſanguine per venam vmbilicalem confluente, ſequeretur, quòd quó fœtus grandior fieret in vtero, vena vmbilicalis eò major fieri deberet, quod tamen eſt falſum: vt enim annotauit Ariſt. *eo tempore* quo fœtus in vtero nutriri incipit lacte per os hauſto, *venæ vmbilicales ſubinde collabuntur, & quó fœtus ampliùs creuerit, eò adductiùs ipſæ contrahuntur.* Deinde ſi vera ſit vniformitas naturæ & generationis hominis & cæterorum ſentiétium quæ producuntur ex ouo, quam longa omnium quæ in vtroque geruntur enarratione probauit Hipp. in libro de natura pueri, quemadmodum pulli in ouo detenti, vitellum & cæteras partes poſt formationem & nutritionem quæ fit per venam vmbilicalem in eo reſiduas roſtro ſolent impetere maximè omnium vitellum, qui lacti in ouo proportione reſpondet, vt ijs nutrionem ſuſcipiant: fœtus in vtero lacte per os nutriri debet. Quod autem pulli in ouo degentes

Plato in Tymæo.

6. aps 20.

7. Siſtor. anim. c. 8.

roſtro

rostro vitellum & cætera quæ supersunt ex formatione & nutritione quæ fit per vmbilicum impetant, vt ijs nutriantur, docet experientia plurima anatomicorum & Philosophorum, qui in pulli ingluuie lac quoddam crudum ac veluti colliquamentum reperisse aiunt; Arist. ipse docet vitelli partem in ventre pullorum inuentam fuisse fere his verbis. *Iam & pullum ipsum multùm humoris lutei subit, qui demum decrescit, procedenteque tempore totus absumitur in ipsum pullum, cuius portio in corpore deprehenditur, ita vt decimo post die quàm exclusus est, pullus si dissecetur, etiamnum ad intestinum Paulum vitelli reliquum inueniatur.* Nec dicat aliquis vitelli partem in intestinis pullorum inuentam descendisse per venam vmbilicalem, ni priùs viam aperiat, qua, sine lethali venarum & aliarum partium corporis diuulsione in ea subire potuit, Vena enim vmbilicalis hepar superat inseritúrque venæ cauæ superioris trunco, è quo vitelli huiusce pars si sua crassitie mortiferam interceptionem non generasset, descendere debuisset in venam portam, ex hac per mesaraicas in intestina, quod sanus non admittet anatomicus. 6. Histor. anim. c. 3.

His adde experientiam quæ omnem dubitandi locum penitus aufferet, in fœtuum scilicet ex vtero eiectorum, & ex matre mortua extractorum ventriculo, lac ab anatomicis fuisse repertum, quod non potuit in hanc corporis partem subire nisi per os: Ergo fœtus in vtero detentus lacte nutritur per os; quidquid Arist.

afferre videatur contra hanc Hipp. doctrinam quam refert ad Democritum his verbis : *Harent & continentur animalia ex vmbilico, qui ex vena dependet, per aequi librium directum ad venam quasi aquaeductum fluentem, foetus membranis & secundis obuolutus continetur. Qui infantes in vtero ali aiunt sugentes carunculam non rectè dicunt. Idem enim & caeteris animantibus eueniret quod tamen nusquam videmus. Atqui lac facilè per dissectiones videretur, si esset. Omnes etiam foetus tum volucres, tum aquatiles & pedestres pari modo membranae tenues ambiunt, separantes ab vtero de humoribus admissis, sed nec in iis ipsis tale quicquam inesse videmus, neque fieri potest, vt per eorum aliquod alimentum hauriant. Iam & quae ouo nascuntur, omnia incrementum foris recipere, abiuncta ab vtero apertum est, itaque non rectè aiunt qui ita dicunt vt Democritus.* Quamuis autem Arist. in hoc textu Hipp. doctrinae aduersari videatur, & quae afferuntur in eo, probare nitantur prae caeteris, animantia in vtero degentia alimentum suscipere per vmbilicum, non autem ore, lac per carunculam sugere, tum ex eo quòd in aquatilibus, pedestribus, volucribus, experientia comprobari non possit, nec lac in vterò reperiri, maximè in volucribus quae nascuntur ex ouo, vt pote cùm seiuncta ab vtero foris incrementum, idest, materiam incrementi purà album humorem sanguini proportione respondentem ex ouo recipiant; Attamen licèt res oculis difficilè, rationi tamen vt dictum satis superque conspicua est; quamuis enim sanguis

2. de Gen. anim. c. 2.

solus per venam vmbilicalem seu per aquæductum è matre fœtui vsque ad primam motionem deriuetur, idémque contingat cæteris animantibus in vtero, volucribus autem ex ouo in quo natura materiam formationi & incremento necessariam reposuit; à prima motione vsque ad exitum vltra sanguinem per dictas vias è matre confluentem, lac quod fæcibus nigris materiam præbet, è matre deffertur ad fœtum per vasa lactea pro nutritione illius per os; abiuncta verò ab vtero animalia, nimirum volucres aliquid quod lacti proportione respondet, putà vitellum oui rostro solent impertere, quod fœcibus, quas subuirides albásque in ouo post exclusionem pulli repererunt naturalium rerum indagatores materiam suggerit, hoc illud annotante his verbis Arist. *Excrementum etiam album eodem tempore pullus emittit, & in aluo quiddam album consistit.* 6. de gen. anim. c. 3. Quòd si quæras qua via an etiam caruncula per os exucta lac fœtui impertiatur: videantur hac de re recentiores medici, cùm nostri huiusce instituti non sit de his longiorem sermonem texere.

His sic suppositis & enodatis, difficile non erit textum superiùs propositum interpretari: *Cùm autem fœtus mouetur, tunc sanè lac de s significationem matri exhibet.* Idest, cùm autem fœtus debitam omnium partium conformationem & soliditatem adeptus moueri incipit, tunc lac generari solet in matre; nec sine ratione: Cùm enim fœtus, solido existente vt par est corpore, producto hepate vterino, membranis

inuoluentibus in necessariam molem perductis, tam copioso sanguine non egeat quem per venam vmbilicalem è matre trahat, coaceruatur ille in venis maternis, maximè cùm menstrua defecerint; quo tempore, mammæ officij sui veluti memores, periculosam matri fœtuíque plenitudinem anteuertere incipientes, eam alimentorũ partem quæ in ventre primùm diffunditur ad sese trahunt, & prima lactis effingunt argumenta. *Mammæ enim attolluntur & papillæ turgescunt, neque tamen lac prodit.* Idest, hac enim alimentorum parte, hoc est, lacte, grauidantur mammæ & intumescunt, nec tamen lac tunc temporis (si bonæ sint fœtus res in vtero) ex hisce effluit; ad vterum enim, vt mox dicetur, pro pueri in eo contenti nutritione defertur. *Et mulieribus quidem quæ denso sunt corporis habitu, tardior est lactis significatio seriùsq; fertur, citiùs verò his quæ rarum habent corporis habitũ;* Idest, nec eodem temporis intestitio lac in mammis omnium mulierum apparere consueuit. Cùm enim necessarium sit, quò in mammas feratur, vt plenitudo fiat in venis, cuius periculum anteuertatur subductione lactis è ventriculo; in mulieribus quæ crasso densoque corporis habitu venas facilè exhauriunt, tardior est lactis significatio in mammis. Quidquid enim illius generatur in ventriculo vel in venas maternas, vel in fœtum protinus deriuatur, nec mammas attollit & inflat. Contrarium accidit mulieribus rarum corporis habitum à natura adeptis: Hæ enim plethoram ad

vasa faciliùs patiuntur, quàm, mammæ anteuertere debent subductione lactis è ventriculo; vtque illæ carnibus, hæ sanguine & lacte magis abundant. *Lac autem propterea necessariò gignitur, cùm vterus fœtu intumescens mulieris ventrem comprimit, si eo pleno compressio illa contingat quod in cibo & potu est pinguissimum, foras in omentum prosilit* Idest, lac ergo propterea necessariò gignitur, si venis sanguine plenis, ventriculus cibis & potibus impleatur, quod in ijs est pinguissimum, idest, quod ex alimentis primùm omnium in ventriculo ob fœtus grandioris viciniam & copiam ciborum incalescente compressoque diffunditur in quam nutriendi corporis partem sese insinuet non inueniens, per vasa mox describenda è ventriculo & prioribus intestinis in omentum & mesenterium prosilit. *Ac veluti si quis corium copioso oleo perunctum imbibi sinat, eoque imbibito corium premat, quo compresso oleum foras exilierit; sic certè vbi venter pinguedinem à cibis & potibus continet, & ab vtero comprimitur, quod pingue est in omentum & carnem prosilit*; Idest, vt enim si quis corium oleo copioso perunctum imbibitúmque premat, oleum foras exilit; idem accidit ventriculo. Si enim alimentis plenus, tum à seipso ob repletionem, tum ab vtero intumescente comprimatur, pinguior chili pars olei instar è corio expressi in omentum mesenterium & vasa per corpus fruticantia mox describenda protruditur. *Et si raro habitu mulier fuerit, hanc exudationem faciliùs percipit, sin minus tardius*, idest,

quòd si mulier raro corporis habitu prædita sit, quia hæc plethoram ad vasa faciliùs incurrit, lactis exudationem citiùs percipit, mammis plethoram lactis subductione è ventriculo quamprimùm anteuertentibus: sin minus, tardiùs. *Quin & pecora, cùm vterum gerunt, nisi morbo aliquo laborent, potu cibóque ob eam causam pinguiora euadunt: itidémque mulier, pingui namque incalescente & candido effecto, quod vteri calore edulcatum est, in mammas expressum tendit, & in vteros quoque exigua portio per venas easdem defertur.* Idest, Idem accidit pecoribus ac mulieribus. Illa enim cùm vterum gerunt, ni morbo aliquo detineantur, eo tempore quo fœtus eorum moueri incipiunt, si potibus & cibis repleantur, pinguiora euadunt & lac habere solent, non secus ac mulieres. Quod euenit ex eo quòd pinguior dulciórque pars alimětorum chili naturam adepta in ventriculo ob copiam eorum & vteri tumentis viciniam incalescente, in mammas non solùm exprimitur per vasa propria, sed etiam in vterum pro nutritione fœtus. *Ad mammas enim & vteros eiusmodi venula & consimiles aliæ feruntur, cúmque ad vterum peruenerit, lactis formam habet, eóque exiguo puer fruitur: mammæ verò vbi lac exceperint, attolluntur & implentur.* Idest, Quòd si quæras quo itinere lac è ventriculo & è prioribus intestinis corij oleo humentis instar compressis in vterum & mammas feratur: Respondet Hipp. venas quasdam dari quas recentiores iure meritò lacteas appellarunt, quæ radicationis suæ principia in prio-

ribus inteſtinis inuenientes in mammas tunc temporis intumeſcentes deferunt, & per ramum ſubclauium in venam cauam, è qua ſi in dextrum cordis ventriculum ingrediatur, & ex eo in pulmones, cùm propria conceptacula, ideſt mammas per magnam calamitatem ablatas, non inueniat, miſeræ mulieres ſuffocationis diſcrimen incurrunt. Nec prædictæ venulæ lac ſolummodo reportant in mammas, ſed etiam in vterum è quo ingens copia lactis in mulieribus non prægnantibus aliquando excernitur, dum fœtus excluſus illius portiuncula non ampliùs in eo nutritur, ſed extra. *Atque vbi mulier pepererit, ſuppeditato motus initio lac in ipſas mammas fertur ſi puerum lactauerit; dum mammæ exuguntur, venæ quæ ad eas tendunt ampliores redduntur, & ampliores effectæ, quod pingue eſt attrahunt & in mammas tranſmittunt. Vt namque ſi venerem crebrò exerceat ampliores venæ redditæ ſemen attrahunt*, ideſt, his ergo vaſis lacteis poſt partum, lac, motionis ſuæ principium à fœtu & vtero per ventris compreſſionem adeptum ſuppeditantibus, ad mammas exprimitur: cui rei non parum affert auxilij puellus, qui papillas ſugendo facit vt lactis copia faciliùs in mammas deferatur, non ſecus ac contigere videmus in coitu: in quo, valido extremi pudendi labore & attritu ſemen ex vniuerſo incaleſcentis geſtientiſque corporis habitu per venas ſpermaticas attrahitur in ea, & ex ijs in vterum qua data porta ruere ſolet.

PARS SECVNDA

DE VSV LACTIS IN CVRATIONIBVS MORBORVM.

PARS SECVNDA

DE VSV LACTIS IN curationibus Morborum.



AC dare capite dolentibus malum: malum & febricitantibus, & quibus ilia suspensa murmurant; malum & siticulosis & quibus biliosæ deiectiones, febres acutæ, & copiosa sanguinis euacuatio facta est. Conuenit verò tabidis non admodum valde febricitantibus lac præbere, & in febribus longis & languidis, si nullum ex supradictis signum adsit, & præter rationem extenuatis. Hipp. 5. aps. 64. 5. aps 64.

Ad facilem explicationem eorum quæ diuinæ scientiæ Princeps in hoc textu delitescere voluit, repetendum è superiori commentario & addendum, quòd quamuis lac quatuor hu-

moribus corporis naturam constituentibus proportione respondeat, eorumque materia sit, in bilem magis quàm in cæteros humores facessere: generatur enim (vt dictum) à pinguiore ciborum & potuum substantia quæ facilè in bilem secedit; iuxta Hipp. effatum. *Biliosum à pingui*: Dulce est actu, quod in pauca mole multùm diffundit, ac proinde facilè æstuat & bilescit; nutriendis infantibus, qui natura humidi sunt & calidi, ob sanguinem & bilem in eorum temperie prædominantem destinatum est; generatur in nutricibus, quæ vt plurimùm iuuentutem agunt, in quarum temperie bilis imperium obtinet, quæ suo *exhaustu, ventriculo denunciat, quod corpori resarciendo necessarium existit*: Biliosos affectus procreat vt choleram, non secus ac contigit, *Bianti Pugili, qui cùm naturâ vorax esset, ex carnium, vinis, sed maximè lactis & polentæ vsu in eam æstate incidit*: Augendo calorem & bilem malignis febribus opem affert, non secus ac *lac, vinum feruefactum, allium, acetum*. Cùm enim febres malignæ symptomatis *febri ex aduerso respondentibus*, conspicuæ, ab atris & frigidis humoribus ratione malignitatis ducant originem; augmento bilis quæ febri alimentum suppeditat, ita curari consueuerunt, vt si hæc fluxu alui protinus subducatur, ingens ægris damnum, & vt plurimùm mortem afferat; Cùm ergo lac bili maximè faueat: non mirùm, si inter remedia febrium malignarum recenseatur: Sal quia potenter humores atros & crassos incidit, idem

6. Epid. sect. 6. text. 9.

4 de morb

5. Epid.

145. coac.

præstat ; vinum feruefactum similiter : quia humoribus prædictis orgasmum conciliat : acida etiam, quia vt ait Hipp. *nigra exaltant in sublime attollunt.* Allium idem facit : indéque ait Hipp. *malignorum, remedia sunt, lac, allium, vinum feruefactum & acetum.* *De vict. rat. in morb acut.*

Secundò, supponendum est, lac duplici titulo pro morborum curatione in vsum adduci posse, vel quatenus sero suo purgat, vel quatenus cæteris substantiis nutrit ; quatenus purgat, morbis ferè omnibus â repletione oriundis opem affert ; quatenus nutrit, morbos diuturnos alijs remedijs vix sanabiles à colliquatione & siccitate originem deducentes aut eam accersentes eradicat. Vtroque modo varijs in locis vsurpauit Hipp. quatenus purgat, non solùm in omnibus morbis in quibus ad nutritionem vtitur, febre hectica, tabe, arthritide, dissenteria, & alijs fluxibus sanguinis, vlceribus renum & vesicæ, & cæteris affectibus in progressu exercitationis afferendis : sed etiam in morbis ipsis putredine mera stipatis. Quamuis enim lac vera facultate purgandi non polleat, nî cùm *mulier aut capra elaterium, cucumerem siluestrem aut cætera purgantia deuorarunt* : queis vera fætui purgatio contingit : attamen quia potenter deterget suo sero, quod, *alimento*, idest, humoribus *vehiculum præbet*, partes corporis ita humectat & irrigat, vt noxios humores, seri ope è corpore subducendos cogantur emittere : maximè, si è cæterorùm compage soluti à ventriculo & intestinis ve o purgante *6. Epid. sect. 6. text. 7.* *6. Epid.* *Lib. de Alim.*

pridie exhibito imbutis aut irritatis attracti fuerint, aut à natura intra alui fluxum expulsi. Hac autem ratione non tam purgat, quàm purgationem arte aut naturâ incœptam conficit, suppurgat vt ait Hipp. impressum præter ea corpori à medicamentis aut humoribus ardorem & acrimoniæ sensum extinguens & delens.

Hoc ergo modo, lacte asinino, & sero sæpissimè vtitur Hipp.

Primò in curatione morbi regij vbi sic effa-
De inter tur. *Alius morbus, &c. Huic cùm sic habuerit, ve-*
affect. *nas pertundito, & sanguinem detrahito, deinde fomento ad moto veratrum propinato, tertio verò die asinino lacte rursus deorsum aliquantulum purgato,* & vt vertit Marinellus, *suppurgato.*

2. In curatione morbi quem pituitosum vo-
2. de morb cat his verbis: *Morbus pituitosus, &c. Huic medicamentum purgans propinato, serum & lac asininum bibat. Quod si serum bibat, multis ante diebus medicamentum per inferiora purgans bibendum exhibito, cúmque serum bibere desierit, lac asininum postea bibat.*

3. In curatione febris à bile, his verbis:
2. de morb *Febris à bile, &c. Cùm verò os minimè laboret, sed ad imum ventrem termina decumbant, medicamentum deorsum purgans propinato, post áque lac asininū aut serū, aut succū, aliquē bibendū dato, quòd si debilis fuerit, aluum infuso subduito.*

4. In curatione erisipelatis pulmonis, vbi
2. de morb sic effatur: *Eresipelas in pulmone, &c. Hic morbus maximè ex crapula, carniū esu, & à q e mutatione contingit, atque aliis etiā de causis den-*

et. Huic medicamentum deorsum purgans propinato, postéaque lac asininum bibat, nisi natura lienosus fuerit. Quod si sic: neque succis, neque lacte, neque sero purgato, sed eo quod pauca quantitate sumptum, plurimùm foras educat.

5. In primi morbi crassi curatione his verbis: *Hinc igitur vbi sic habuerit, eneato exhibito per inferiora purgato, aut grano gnidio aut hyppophaes succo; lactis etiam asinini cocti heminas octo melle affuso potui dato. Postero verò die post purgationem eadem aliis porrigito.* *lib. de intir aff.*

6. In curatione morbi quem Hipp. crassum secundum vocat, his verbis: *Alius morbus crassus, &c. Huic ita habenti ventrem inferiorem per hippophaes purgato, superiorem verò per veratrum, capútque tetragono purgato, cúmque per veratrum purgatus fuerit. postridie lacte asinino cocto, aliquantulum purgato,* & vt ait Marinellus, *suppurgato. Tertio autem die caprino cocto eodémque sanè modo quarto & quinto.* *lib. de inter affect.*

1. In curatione morbi comitialis de quo sic effatur: *Morbi comitiales aut partium resolutiones fiunt, &c. Recreatis viribus & ad indicationes adhibita consideratione si non leuetur, ventrem superiorem medicamento purgare oportet, ad inferiorem verò aluum nisi per infusum subducatur, lac asininum coctum exhibeto, nec minùs quàm duodecim heminas bibat.* *De vict. rat. in morb. acut.*

8. In curatione vlcerum capitis, his verbis: *Vlceribus caput impletur, &c. Cùm sic habet, medicamentum ei exhibeto, quod pituitam & bilem sursum purget, siquidem frigus fuerit, vbi prius fo-* *2. de mor*

uerit & calida laueris. Deinde trium dierum intermissione facta, caput purgato postéaque medicamentum deorsum purgans bibendum dato, & si anni tempus opportunum fuerit, serum deinceps propinato, sin minus lac asininum. Post purgationes autem cibis quàm paucissimis vtatur, maximéque aluum subducentibus, neque lauet.

2. de morb 9. In morbo quem liuidum vocat ex eo quòd labra & oculorum candida liuescunt, & corpus interdum ex liuido cum virore pallescit, vbi sic effatur. *Morbus liuidus, &c. Huic medicamentum tum supra tum deorsum purgans propinato, aluum subluito & ex capite purgato. Calida quamminimùm lauet, verùm vbi lauerit insoletur, serum & lac asininum si anni tempus ferat, bibat.*

2. de morb 10. In affectione melancholica quam sub nomine morbi cura grauis descripsit. *Cura grauis morbus, &c. Veratrum huic propinato & caput purgato, post capitis purgationem medicamentum per inferiora purgans bibendum exhibito, & postea lac asininum.*

2. de morb 11. In primo morbo quam à nigro vomitu *nigrum morbum* indigitat hisce verbis: *Morbus niger, &c. Huic medicamentum purgans crebrò propinato, & serum & lac si anni tempus ferat.*

2. de morb 12. In secundo morbo nigro, &c. *Hunc medicamentis per inferiora & superiora purgato, postea lac asininum bibendum exhibeto.*

lib. de inter. affect. 13. In longo alui profluuio è cerebro originem deducente his verbis: *Longum alui profluuium,*

fluuium, &c. Hunc veratro in potu exhibito & capite pituita purgato, supra resiccato, lacte cocto aluum eluito, deinde reliquam curationem per cibos & potiones quibus aluus & totum corpus exsiccetur adhibeto.

14. In morbo hepatico: *Morbus hepaticus, &c. Medicamenta verò etiam quæ in lateris morbo ad dolorem exhibentur, insuper bibat, lac quoque caprillum ad quatuor heminas tertia mellis parte ad mixta ieiunus bibat.* Ibidem.

15. In altero lienis morbo: *Alius lienis morbus, &c. Hunc ita habentem iisdem quibus priorem curato, nisi quod medicamentum sursum purgans minimè dederis. Rursum verò cocco gnidio purgato. Postero die quoque lactis equini cocti octo heminas melle affuso exhibeto. Sin minus lacti bubulo aut asinino cocto ad duos congios mel in altero poculo miscere & alternatim bibere oportet. Sub vesperum post purgationem eadem quæ prioris exhibeto.* Ibidem.

16. In hydrope è liene his verbis: *Aqua intercus ex liene, &c. Hunc ita habentem per exordia curato, veratro supra exhibito, infra encoro, hyppophaes succo aut grano gnidio aut lacte asinino ad heminas octo melle affuso.* Ibidem.

17. Idem præscribit in curatione *hydropis ex hepate.* Ibidem.

18. In morbo coxario: *Morbus coxarius, &c. Huic veratrum aut scammonii succum deorsum purgans propinato. Post huiusmodi verò purgationem postero aut tertio die admoto fomento lacte asinino suppurgato.* Ibidem.

Lib. de nat. mul. 19. In fluore vteri mulieris sterilis quæ concepit, &c. *Huic medicamentum sursum & deorsum purgans propinandum & lac asininum aut serum postea bibendum, vteri medicamento quod minimè mordeat purgandi.*

Ibidem. 20. In hydrope vteri prægnantis de qua sic effatur: *Si aqua in grauida vteris subor[illegible] fuerit, lac & meconii, id est, pepli aquas purgantis succum propinare oportet, quoad fœtus moueri incipiat.*

1. de morb. mulier. 21. In vtero humidiore, *ad quem si biliosa confluant medicamentum quod bilem purget, exhibendnm* (ait.) *Si autem salsuginosa, lac & vinum alioque præsidia.*

Ibidem. 22. *Mulieri pituitosæ grauida* aut potiùs pituitoso morbo laboranti *post partum dare oportet* (ait) *pharmacum quod pituitam ducat & lac caprinum coctum tum melle mixtum, quibus sæpe oblatis si non cedat, nasturtium exhibendum aut ca th mum, aut eneorum, aut polipodium, aut serum, aut ex salibus compositum medicamentum & quæcumque pituitam laxant & foras educunt.*

2. de morb. mulier. 23. In fluore vteri in quo expurgatur quale quid ex ouo crudo pallidum, subalbidum, quod vlcus in pudendis excitat, &c. *Hæc si valida fuerit veratro purgetur, sin minùs medicamentum quod pituitam & bilem educat exhibendum. Post medicamenta autem plurimis diebus serum coctum cum pauco sale potui exhibeto vesperi autem eadem facito. At si natura, lienosa, flatuosa, sanguine defecta fuerit, neque se-*

rum, neque lac bibat; alioqui per medicamenta deorsum purgato.

24. *In uteri strangulatione si dolores cessarint, medicamentum deorsum purgans propinato, posteáque lac asininũ aut serũ bibendum præbeto, nisi ab ortu lienis affectibus obnoxia fuerit, aut sanguine defecta; aut decolor, aut aures tinnientes habuerit, quibus cognatione quadam à iuuentute morbi in consuetudinẽ veniant.* Ibidem.

25. *Si uteri ad hepar vertantur, &c. vbi sanaueris medicamentũ deorsũ purgans potui exhibendũ, quod bilẽ purget, si quidem biliosa fuerit, si verò pituitosa quod pituitam, deinde lac asininũ decoctũ propinandũ, uterus odoratis fouendus.* Ibidem.

26. *Si uteri ad latus inflãmatione laborant, &c. Vbi cessarunt totã foueto, deinde si quidem biliosa fuerit, medicamentũ deorsũ purgans quod bilem ducat potui dato; si verò pituitosa quod pituitã & lac asininũ aut serũ caprinũ deorsũ propinato: At si lienosa fuerit, neque lac neque serũ propinato.* Ibidem.

27. *Si uteri clausi fuerint, &c. Cum sic habuerit medicamentũ deorsũ aut sursũ purgans potui exhibeto si indigere videatur, lac asininũ aut serũ exhibeto.* Ibidem.

28. *Si uteri ad medios lũbos se conuoluerint, &c. Cùm ad suũ locũ redierint, medicamentum deorsũ purgans bibendũ dato; lac asininũ si minimè lienosa fuerit.*

29. *In uteri erisipelate, &c. Hic morbus si prægnantes inuadat, interficit, alioquin medelam* Ibidem.

adhibere, & lac asininũ propinare & purgare oportet.

2. de morb 30. In febre mortifera dicta, *in qua* (ait) *vbi vires valuerint, molli medicamento ad nares admoto aluum per inferiora purgato, deinde lac asininum propinato.*

lib de vict. rat. in morb acut. 31. In cholera sicca, in qua nî morbus aluum subducentibus, clisteribus calidis & pinguibus & cæteris soluatur, *si dolor minimè remiserit* (ait) *lac asininum donec purgatus fuerit, propinato, &c.*

Quid plura: lacte asinino aliove aut sero in magna dosi ad suppurgationem vtitur Hipp. in permultis alijs morbis quorum narrationem in progressu exercitationis partim videas, partim apud authorem quæras: omnia enim hic minutatim perscrutari, tædiosum & inutile foret.

Quatenus nutrit & impinguat, lac in vsum adducit Hipp. in morbis quos in præsenti textu expressis aut tacitis verbis recenset. Istius ergo exercitationis non est suppurgationem lactis ope institutam attingere maximè cùm nostris temporibus ferè exoluerit, sed tantum nutritionem, & præmeditationes ad illam necessarias, quarum prima è proposito textu desumpta, his verbis continetur:

1. *Lac dare capite dolentibus malum.*

Doloris nomine duo intelligere solet Hipp. primum est inflammatio acuta cum febre quam *dolorem eximium* indigitat. Inde *quatuor febrium genera esse ait; præter eas quæ dolores eximios comitantur.* Lib de nat hom. Generatur hæc inflamatio à

duplici humore, à pituita nempe & à bile è cæterorum humorum compage solutis, & ad venas membranarum capitis nutriculas simul confluentibus. Intercipiunt enim præ adepta crassitie venulas, eorúmque cauitatibus affiguntur, sistunt proinde in membranis prædictis ignem, ideſt, sanguinem, quem recentiores arteriosum vocant, Hipp. *calidum*, & Micro- *Lib. de*
cosmici *solem* qui è corde seu è *cælo* arteriarum *cord.*
ministerio omnes corporis partes debito calore perfundere, & circulari iugíque motu in venas insilire consueuit; ignis membranas incendit, exsiccat, conuellit, mordet, dolorem infert, & aliquando pituitam & bilem cum pauco sanguine in earum substantiam trahens, conculcat in tuberculum, quod sæpe facessit in pus, quo per os, nares, aut aures effluen- *2. Epid.*
te dolor soluitur vt *Echethrati caco* Hincque ait *2. de morb*
Hipp. *venæ supereuomere videntur*, ideſt venæ membranarum capitis nutriculæ calidum sanguinem qui ex arterijs in eas vt in cæteras partes iugi cõmercio & circuitu sese insinuare solet, recusare videntur, *vbi bilis & pituita eas subierit.* Interceptis enim ab vtroque humore crassitiem adepto cauitatibus, *venulæ* in extrema sui parte calidioris sanguinis multitudine refertæ *attolluntur & pulsant, & dolor toto capite oboritur* à calidiore intemperie quæ membranarum cerebri naturam corrumpit & affatim immutat; sæpius etiam in prædictæ partis substantiam humores trahit, in tuberculum conculcat, & phrenitidem accersit. In-

Lib. de affect. déque ait Hipp. Quæ febres hyeme siue ex vino, siue ex lassitudine fiunt, in acutas transeunt, eatúmque transitio fit eiusmodi. Agitatis duobus humoribus tum pituita, tum bile vbi quæ minimè conueniunt, corpori admouentur, ipsi in se collecti in eam corporis partem quamcumque sors obtulerit, incidunt, fitque morbus lateralis, aut phrenitis, aut pulmonis inflammatio; vt cæteros textus in Hippocratis nostri pathologia suo tempore describendos silentio prætercam.

Dices: nonne angustia venarum capitis quæ doloris causa est, à ceteris humoribus originem trahere potest? ita sanè: Hincque ait hipp. (Dolores fieri, cùm bilis atræ & acrium humorum fluxiones fiunt, dolores autem ex pituita ingruunt, vbi in capite mota & coacervata fuerit,) idest, dolores fiunt, cùm bilis atra in venulas partium dolentium nutriculas decumbens eas intercipit sistitque partibus ignem; hinc humor acrimoniam concipit & tandem in partium substantiam effunditur; idem contingit à pituita; hæc enim si (vt dictum) venulas membranarum capitis nutriculos intercipiat dolorem infert & tandem cum cæteris humoribus in earum substantiam mota facessit in tuberculum; qua in re, vinum primas tenere ait hipp. Vt enim crapula venas intercipit, calore valido caput ferit & dolorem crudelem parit; Quod Hipp. expressit his verbis: Vehementior autem dolor euadit, vbi caput calidum, vinum attraxerit.

Secundò doloris nomine Hipp. intelligit dolorem simplicem & solutu facilem, qui eadem ratione generatur ac eximius, nimirum à calore maximè si crassior flatus ex inferis corporis partibus ad superiores euehatur, venasque intercipiat; factâ enim intra venulas membranarum capitis à flatu crasso præclusas angustiâ, dolor accidit ab igne & microcosmi sole, qui ex arterijs in partis prædictæ substantiam irruit, eam ferit, & palpitationem venulis in extrema parte illius multitudine refertis inducit. Hinc ait Hipp. (Capitis dolores vna cum febre ob hanc causam oriuntur. Sanguinis in capite vijs angustia contingit cùm aere replentur, eæque repletæ ac distentæ capiti dolorem afferunt. Sanguis enim vi pulsus cùm calidus existat, (arteriosum intelligit) per angustam viam transire celeriter nequit, quod eum multa remorentur, quæ impediunt, & obstruunt, eamque sanè ob causam pulsationes circa tempora contingunt. *Lib. de flat.*

His demonstratis arduum non est explicare, quod quamuis lac dolori capitis conferre posset, si humoribus illius causis arte & industria è corpore suppurgandis præscriberetur, quomodo in ijs quos longo vsu sine alijs cibis præterquàm vesperi nutrire & à morbis inferiùs describendis liberare est animus, noxam inferat. Cùm enim biliosæ naturæ sit, & in pauca male multum diffundat, si capite dolentibus ad nutritionem exhibeatur, derepentè ad caput, vini instar, attrahitur, venas interci-

pit, & sistendo ignem, valido calore membranas ferit; si dolorem eximium putâ inflammationem, & phrenitidem non accersat vt
3. epid. 13. Appollonio Abderæ contigit, simplicem parit, in quo pituita in cerebro præ calore funditur, & ad inferas corporis partes decumbens per vrinas euacuatur.

2. *Malum & febricitantibus.*

Quòd omnes febres oriantur à bile, è venis
4. de morb. maioribus quas (sanguinis fontes) vocat Hipp. aut è venulis partes intertexentibus, calida versus cor effluiua expirante, nihil verius. Bilis enim sola inter humores facilè potest ignem concipere, cùm inflammabilis naturæ sit,
4. de morb. copiosûs & melius febri alimentum suppeditet, & in corpore dispersa aut firmata morbum cum prioribus corroboret.

Et certè: si febrium differentias breuibus verbis attingere nobis liceat, omnes à bile procedere facilè erit in confesso, Hinc hait Hipp. (fe-
Lib. de nat. hom. bres magna ex parte oriuntur à bile, quarum sunt quatuor genera præter eas quæ dolores eximios comitantur. Earum autem nomina sunt, continens, quotidiana, tertiana, quartana. Quæ continens appellatur ex copiosissima & meracissima bile prouenit, & per quam breui iudicatur, Corpus namque vehementi calore incalescens, neque vnquam refrigescens celeriter colliquescit. Quotidiana secundùm continentem ex plurima bile ortum habet, præ alijs citissimè liberat continente eò longior, quò ex paucio è bile prouenit, quodque in ea

corpus

corpus requietem habet, quod in continente, nullo vnquam tempore quiescit. Tertiana verò τὸ, quotidiana longior, & à pauciore bile fit, quoque diutiùs in ea quàm in quotidiana corpus quiescit, eò diuturnior hæc febris est quàm quotidiana. At quartanæ in reliquis eandem rationem obtinent, tum quia in his corpus liberaliùs refrigeratur, iisque ab atra bile is cumulus accedit, vt non nisi ægrè depelli possint.

Hoc textu patet, non solùm febres putridas, quarum causa in venis maioribus hospitatur, putà essentiales continuas & intermittentes ex parte, idest secundùm causam vnde calor exoritur, à bile originem ducere, sed etiam comitatas & accidentales quas Hipp. febres quæ dolores eximios comitantur, indigitat; quæque vt dictum anteriùs, à pituita & à bile in venulas partium nutriculas confluentibus generantur. Hac ergo incensa calidisque effluuiis cor impetente febris fit, quæ socium & pituitosum humorem dissoluit, Et ita, malignitatę quæ à crasso humore procedit, remedium affert; vt Hipp. scripserit, *in dolore lateris, febrem per septem dies non esse sedandam*; ne humore contrario & socio ob febris cessationem bilisque subductionem diarrhea factam recrudescente morbus periculosus euadat. *Lib. de locis in hom.*

Dices: si omnes febres oriantur à bile, cur ait Hipp. *Si febris fit non ex bile orta, multa aqua calida capiti superfusa febrem soluit.* Respondeo Hipp. ita intelligendum esse: Si febris *aph.*

sit, non quæ oritur à meracissima bile, qualis est continens, sed alia quæ ex duplici humore trahit originem, vt maligna aut intermittens, quorum humorum alius malignitatis aut frigoris, alius febris est causa, multam aquam calidam capiti superfusam febrem soluere *vt Meto-*
3. E, id. *ni*, capitis enim calefactio perfusionibus calidis facta bilem fouet & auget, hæc facili incendio socium aduersúmque humorem, olei instar super ignem in vase impositi incensique aquam simul permixtam, discutit & febrem soluit vt dictum; quod non euenit in febre continente quæ à meracissima bile ortum ducit. Calidæ enim aquæ superfusione capiti facta, bilis, & à bile febris ingrauescit.

Si ergo quis febrem putridam à bile, vt dictum, oriundam patiatur, lactisque vsui indulgeat ad nutritionem, malum esse rectè ait Hipp. hoc enim corpus impurum lædit, putredinem ignemque auget, à febre intermittente simplici, duplicem, tandemque continuam &
5. epid. 13. alios graues affectus ingenerat; *Appollonius Abdera febre detentus, cùm lactè vsus esset, copioso, crudo, & cocto, caprillo, ouillo, insignes omnium offensiones factæ sunt. febris exasperata, tandemque phrenitidi[illegible] periit.*

3. *Malum & quibus ilia suspensa murmurant.*

Quòd ilia suspendantur & murmurent, ob hepar obstructum à crassis humoribus potissimùm à bile, difficile non est assequi. Cùm
4 de morb enim *bilis locus in iecore sit*, in quem *ne corpus cor-*

rumpat, seu noxius & inutilis incola attrahitur, vt ex eo per aluum deturbetur; si venulæ queis prædictus humor in eum locum & intestina deferri consueuit à crassa bile obstruantur, refrigescit hepar tum temporis, intumescit, dolet, lien in consensum trahitur crudisque humoribus impletur intestina necessariò calore bileque destituta indurescunt, flatibus obmurmurant, queis ilia suspenduntur: aliquando tenuior portio bilis in exteras corporis partes defertur & iterum parit. Sic, *Abderæ Appollonio elata erant viscera, consuetus hepatis dolor longo tempore perseuerauit* à crassa bile illius venulis affixa, cuius tenui portione in ambitum corporis effusa, *tunc sanè auriginosus factus est, flatibus abundabat, & colore erat subpallido*. Quod si contigerit, flauam bilem, hepate sano & obstructionibus libero, ad externum corporis habitum deferri & auriginem parere, ægri non admodum ventosi existunt. Quia hepar debito calore perfunditur, lien pariter, ventriculus ingesta facile digerit, nec vt plurimùm, præterquàm causæ exterioris maleficio, flatus eructare solet. Hoc sensu rectè ait Hipp. *Auriginosi non admodum ventosi sunt.* Democrit. epist ad Hipp. 3. epid. 13. 5. aph. 62

Quòd etiam ilia suspendantur venter flatibus obmurmuret ructusque à crasso humore potissimùm bile præcordiis refrigescentibus affixa trahant originem, docet Hipp. in descriptione morbi, Quem *ructuosum* aut *ructus cientem* vocat, hisque verbis expressit: *Morbus ructus ciens: dolor acutus prehendit, venterque laborat,*

seipsum disiicit, vociferatur, frequenter eructat, & vbi eructauerit melius habere videtur. Plerumque verò paucam bilem vomitione reiicit, quantum poculi parui mensura, dolor ex visceribus ad imum ventrem & laterum mollitudinem pertingit, tùmque id contigerit melius habere videtur, venter inflatur & indurescit, sonitum edit, neque flatus neque stercus demittitur.

6 Epid. sect. 5 tex. 26. Hoc textu patet, morbum ructus cientem generari à crasso humore qui venulas hepatis intestinorumque nutriculas intercipiens, prædictas partes refrigerat: hinc intestina contrahuntur & indurantur, iuxta Hipp. textum *refrige ratio ventrem indurat*: Venter percussus sonum edit: flatus enim in iis retinentur, qui à leui calore diffusi tam acutum dolorem progenerant: vt æger præ sæuitie seipsum disiiciat, vociferetur, clamet, flatus aliquando eructet, quibus cum bile crassa affectionis vt plurimùm causa, ad poculi mensuram sursum eiectis, leuiùs se habere videtur.

Quæ cùm ita sint: quis non videat, obstructis à bile crassa hepatis intestinorùmque venis, queis ilia suspensa murmurant, lactis vsum pro nutritione interdicendum esse, ne prauus humor magis accumuletur & noceat, flatus qui ex humida & dulcî lactis substantia in loco non satis calore perfuso sui materiam ducere consueuerunt magis ac magis sæuiant, febris accedat, nausea sequatur: Sic *ei qui à flatibus distendebatur, pars inanis intumuit & quodã modo doluit. Huic, cùm lac multum & meracius bibis-*

4. Epid

set & insuper dormiuisset, statim nausea & calor contigit; Lac enim ob bilis viscera obstruentis imperium in similem humorem conuersum fuit, & ex eo ob vini somnique calorem incenso motoque ad ventrem febris & nausea duxerunt originem.

4. *Malum & siticulosis.*

Sitis nihil aliud est, quàm appetitus humidi, hoc est, potus à siccitate ventriculi concitatus, cuius causa primaria non semper in eo, sed etiam in aliis, potissimùm in externis corporis partibus residet: alia autem vigilias sequitur, & somno sedatur: alia somnum, & vigilijs superuenientibus cessat; hæc à nimio calore inter dormiendum ad præcordia deuoluto fit, & hyeme potissimùm contingit: illa ni ingestorum vsu calidiorisque aëris haustu procedat à calida externis corporis intemperie, maximè æstate, ducit originem. Indéque ait HIPP. *Leuem inter vigilandum sitim somnus sedat, illam verò quæ à somno orta est, vigilia interdum.* Idest, sitis quæ inter vigilandum maximè per æstatem exoritur, cùm à calida partium externarum longiore ignis mora incensarum humorésque ad sese trahentium intemperie in ventriculo plusquàm par est exsiccato contrahatur: somno sedatur; refrigescunt enim tunc temporis partes externæ, nec ampliùs humorem è ventriculo sicciore trahunt; calor ad internas deuoluitur, hinc ventriculus humescit, *superueniente alimento, ab igne, humido*, idest, superueniente è partibus externis, ad internas debito

6. Epid. sect. 4. text. 21.

1. de vict. rat.

igne perfusas humore nutriculo, qui famem sitimque sedare consueuit. Contrarium aduenit siti quæ statim à somno, potissimùm hyeme fit. Cùm enim contrahatur calore ingenti qui per somnum & hyemem ad interiora corporis refugit, eáque nimium exsiccat, vigilijs superuenientibus, ignemque ad exteras corporis partes adducentibus cessat. Indéque ait Hipp.

6. Epid. sect. 4. text. 12. *Vigilantem externis partibus calidiorem, internis frigidiorem esse, dormienti verò viceuersa contingere.*

Si quis ergo præ valida partium externarum internarumque caliditate siticulosus, lactis vsui, qui pro humoris sitim inferentis aut illios sequacis purâ bilis suppurgatione conferre posset, ad nutritionem indulgeat, malum esse rectè ait Hipp. Cùm lac inflammabili sua substantia calorem bilemque augeat, queis in febrem putridam transiturus est æger, ni hæc alui fluxu à natura aut arte concitato è corpore subducatur.

5. *Malum & quibus biliosæ deiectiones.*

Dicet aliquis: si bilis continuis deiectionibus è corpore secedat, lactis vsus pro nutritione salubris ne esse poterit? Respondet Hipp. Quod quamuis lac asininum aut serum biliosis humoribus corpore deturbandis opem afferat vt *Fritolai puero* inferius enarrando; attamen si quis biliosas deiectiones patiatur, ad nutritionem, maximè esse periculosum. Cùm enim tales deiectiones ab ingenti humorum putredine ducant originem, & putredo ab insigni

partium corporis intemperie calida; diuturno lactis vsu ad corporis nutritionem, biliosi humoris prædicti colluuies, & calida internarum partium intemperies ad augetur, magno ægrorum discrimine.

6. *Malum & quibus febres acutæ.*

Quòd omnes putridæ febres oriantur à bile dictum superiùs acutæ potissimum quæ à *meracissima & copiosissima bile* procedunt. Si ergo hunc humorem ex externo corporis habitu & ventre in venas deriuari, in ijs coaceruari incendique contigerit vt ait Hipp. lactis vsu præterquàm ad suppurgationem præscripto magis coaceruatur, incenditur, & ingenti æstu per venas furiens vel citam homini mortem præ calore putrido, vel longo tempore, præ inducta febris hecticæ siccitate conciliat. Lib. de nat. hom. 1. de morb

7. *Malum & quibus sanguinis euacuatio facta est.*

Cur lacte statim reficere eos quibus ingens sanguinis deperditio facta est, malum sit, explicare non est tam in promptu: quin potiùs bonum esse videtur. Cùm enim sanguinis celer effusio, celerem nutritionem expostulet, lac res prorsus concocta sit, ac proinde celeriter nutriat, quo illo alimento melius fieri poterit? Malùm tamen rectè ait Hipp. quod vt intelligatur, notandum est, sanguinem esse frœnum bilis, quæ eo plus quàm par est è corpore subducto facilè commouetur. Cùm enim duo sint animantium principia, *vsu quidem, sed facultatibus omnino discrepantia ignis nimirum & aqua*, 4 de Gen. anim. cap 1. de vict. rat.

id eſt; & quatuor humorum inuicem permixtorum maſſa; ſi aqua per validas effuſiones è corpore detrahatur, furit ignis intra venas ob vacuationem refrigeſcentes, quod ſuper eſt ſanguinis, ſenſim mouet in bilem, quæ, dum ægri reficiuntur, per diarrhæam excernitur. Indéque ait Hipp. *quibus per febres ſanguinis vn-*
4. aph. 27 *decumque eruperit copia, iis cum reficiantur ventres humectantur.* Dum enim nouus ad ſanguis ad venas bile infarctas, & partes corporis nutriendas attrahitur, hic veterem humorem, hoc eſt, bilem, ab igne per exſucci corporis ambitum influente commotam, ad ventrem reuellit, illiuſque veluti medicamentum exiſtit. Hanc veritatem firmat hiſtoria Eudemi
4. Epid. Lariſſei in qua ſic effatur: *Lariſſæ Eudemus valde magnum & diuturnum patiebatur profluuium per ora venarum quæ ſunt in ano, (hæmorroidas græci vocant) adeò vt exanguis eſſet, & bilis commota; leuiter tamen habebat toto corpore, & aluus deorſum conturbata, bilioſa demittebat, & hæmorroides remittebant. Poſt epotum medicamentum deorſum purgans probe repurgatus eſt, ac inſuper ptiſanæ ſuccum ebibit, & ampliùs aluus turbabatur, dolorque ad præcordia aderat.*

Hac hiſtoria patet, ex copioſa ſanguinis effuſione per hæmorroidas facta in *Eudemo* bilem ita accumulatam & commotam fuiſſe, vt perturbato deorſum corpore, id eſt, vt facta diarrhea, per aluum non modò ſubducta fuerit à ſeipſa, ſed maximè poſt medicamentum purgans exhibitum (quod maximè notandum) ptiſanæ

ptisanæ succo, idest hordeati liquidioris vsu; cùm enim corpus reficeiet; bilis à purgante ingesto residua ex eo per aluum secessit cùm præcordiorum dolore oriundo à bile quæ dum per hepar in ventrem fertur, dolorem cordis ita progenerat, vt hac de causa Hipp. afferat, *pueros, cordis, nomen hepati* concessisse; quamuis ergo Hipp. lac asininum pro bilis supporgatione præscripserit iis queis ingens sanguinis euacuatio facta erat; malum tamen esse, rectè ait ad nutritionem eorum, si bilis priùs non fuerit subducta, corpúsque necessario humore non satis madeat; id enim citò in venas exhaustas trahitur, eas obstruit & in bilem magno salutis dispendio facessit. Inde in fluore rubro vteri vt dicetur, si *sanguis purior & breuiore tempore fluxerit*, lac bubulum præscribit. 4 de morb

8. *Conuenit verò tabidis non admodum valde febricitantibus.*

Postquam Hipp. demonstrauit queis præmeditationibus in considerationem adhibitis lac præscribi debet pro corporis nutritione, incipit declarare in hoc textu, queis ægris conferat, ac primùm quidem tabidis non admodum valde febricitantibus. Quod vt intelligatur, notandum est, duplicem esse tabis speciem apud Hipp. quarum alia, vlcere in pulmonibus hærente generatur, alia citra pulmonis vlcus, corpus exsiccat; hæc, *febris longa* ab Hipp. dicitur in textu, à recentioribus hectica, de qua inferiùs disseretur; illa verò,

phthisis aut vera tabes nuncupatur. Est autem pulmonis exulceratio, cum febre lenta & totius corporis, maximè superiorum partium extenuatione. Huius triplex est causa apud Hipp. prima, pulmonis inflammatio; nisi enim intra dies quatuordecim repurgetur, transit in
396. coac. tabem. Indéque ait Hipp *Quicunque e pulmonis inflammatione laborant, neque diebus indicatoriis repurgantur, verùm cum delirio quatuordecim dies superarunt, iis suppurationis metus impendet.* Secunda, est pituitæ tenuioris & acris aut salsæ distillatio in pulmonem facta è cerebro (quæ aliquando à prima fronte superficiaria pulmoni vlcera infert, eaque sub nomine *superficiariorum vlcerum pulmonis* descripsit Hipp.) hæc enim pituita sensim in pulmonibus congesta in pus vertitur, & ab vlcere tabem inducit. Indéque ait Hipp. *Distillationes in superiorem ventrem intra dies viginti ad suppurationem perueniunt.* Tertia causa est sanguis è vena arteriosa potissimùm aut ex arteria venosa in substantiam aut bronchia pulmonis effusus in iisque putrescens;
6. aph. 20 hincque ait Hipp. *Quibus in ventrem sanguis*
7. aph. 15. *effusus est, suppuretur necesse est; à sanguinis sputo, puris sputum, à puris sputo, phthisis.* Est tamen alia tabes apud Hipp. quam veriùs cachexiam quæ perducit ad tabem quis indigitet; generatur autem ab ingenti humoris putridi & è cæterorum compage soluti colluuie, quâ partes corporis vero genio & vltimo alimento fraudatæ deturpantur & tandem contabescunt, accita vt plurimùm, è cerebro calidiore, in pulmonem

acri fl xione, quâ erodit ur ille, vlcus contrahit, & ab vlcere tabem infert. Familiaris est autem hæc tabes queis hæmorroides suppressæ sunt, hincque ait Hipp. *A diuturnis hæmorroidibus curato, nisi vna quæpiam seruetur, periculum aquæ intercutem vel tabis impendet.* Mulieres etiam queis suppressi sunt menses, huic tabi sunt obnoxiæ hincque ait Hipp. *Ex suppressis mensibus tabis periculum impendere.* His sic suppositis rectè ait Hipp. lac tabidis nutriendis curandisque conuenire, cum non modò corporis substantiam tabifico calore siccatam & exhaustam humectet, restituat, sed etiam vlcus pulmonis detergeat, illiusque veluti medicamentum existat. Habent enim hoc praui & purulenti humores, vt etiam si naturæ graues sint, è corpore non facilè subducantur, ni nouus humor ad partes infectas attrahatur, qui dum eas humectat & irrigat, prauos humores & pus ex ijs effluere cogit; indeque ait Hipp. *Quæ bibuntur & eduntur alia aliorum esse medicamenta.*

6 aph. 12.

Lib. de nat. mul.

4 de morb

Hanc veritatem firmat Hipp. multis aliis in locis, & primò quidem in curatione tabis quæ fit ab vlcere pulmonis à pituita in eum defluente, de qua sic effatur: *Primò quidem veratrum propinendum, &c. Lac etiam si inunctum aut bubulum aut caprinum, vt suppurgetur, exhibeto, lac etiam bubulum crudum aqua mulsa tertia parte admixta bibat per quadraginta dies*, vt nutriatur & impinguetur.

Lib de inter aff.

Secundò, in tabe quæ inflammationem pulmonis sequitur, de qua sic effatur: *Lac bu-*

bulum & caprinum si anni tempestas fera (id est, si calidum æstiuum quod tempus non sit) & bib t, prius tamen lacte asinino cocto suppurgetur, bibat autem quotidie mane lactis equini excula i poculum trium heminarum mensura.

lib. de inter affect.

Purulentum etiam curare docet in eodem libro, lactis vsu & vitione, his verbis; *Purulentum lacte bubulo crassiorem redditum in pectore & do somnurito.*

Ibidem.

Nec tamen putandum est, lac quouis tempore huiusce morbi ad nutritionem vtile esse; quod nos docuit Hipp. *Qui tabidis multùm feb ritantibus*, interdicit. Dum ergo *pus fit*, quia tunc temporis *fortes fiunt febres*, lac exhibere nocet vt *fi tolo hegesi olis* inferiùs scripto dum febris hectica quæ tabidos ad extremam siccitatem perducere solet, tam altas radices egit, vt humores in habitu corporis incrassari non patiatur, sed alui fluxus eos deturbat, lac ęgri vitæ medicique præscribentis famæ periculosum est. Idem censendum, cum tabes complicatur febri putridæ, aut putredini, in ea cachexia, quæ perducit ad tabem. Ni enim quis putredinem debitis remedijs aufferat, & sero aut lacte asinino semel aut bis hausto suppurget, *impura corpora*, longo lactis vsu, *quantò plus nutriet tantò magis lædet.*

2. aph. 47

2. aph. 10

9. *Et in febribus longis & languidis.*

Quod febris longæ & languidæ nomine febris hectica intelligenda veniat, facilè ex eo licet coniicere, cum hæc ab ipsis exordijs ità languida fit, vt solertissimis medicis sæpius im-

ponat; tam longo tempore duret, vt annos integros superet. vt autem quâ ratione generetur ad mentem Hipp. innotescat.

Supponendum est, quod quem admodum *duplex est animæ officium alere & mouere*, duplex est hominis & cæterorum animantium principium, quorum aliud *omnia nutrit*, idest, nutriendi corporis materiam præbet, *nimirum aqua*; aliud *omnia mouet*, idest, omnes animantis functiones exequitur, aut potiùs, vt ait Arist. quo tanquam instrumento *anima in corpore omnia operatur* nimirum ignis. — 2 *de anim cap* 7. — Hipp. 1. *de vict. rat.* — *Lib. de resp c.* 2.

Per aquam quatuor humorum inuicem permixtorum, simul attemperatorum & quatuor elementis megalocosmi proportione respondentium massam intelligit Hipp. quæ elementorum instar sexcentis, idest, cuiusque modi substantijs grauida, generatur in ventriculo, perficitur in hepate, è quo per vniuersum corporis habitum venarum seu *aquæ ductuum* ministerio ad illius irrigationem & nutritionem diffunditur. — *Plato in Tymao.*

Ignis microcosmi sol in corde, seu, animantis cœlo residet, in eo generatur ex aere per duplicem respirationem adueniente, & *flammis instar* vt ignem solidis partibus insitum foueat, per vniuersi corporis an bitum spargitur; vtque ait Arist. *Ignis perpetuò gignitur in nobis, & flammis instar è corde fluit, sed præ celeritate nos latet.* — *Lib. de respir. c.* 4

Vt autem hæc duo principia necessarium corpori præstent officium, *suum imperium habe-* — Hipp. 1. *de*

Vict. rat. *re debent, & mutuò supera e & superant.* Dum *sol ad longissimum* accedit, idest; dum ignis megalocosmici solis in microcosmo germanus dedic è corde ad exteriorem corporis superficiem ab externo megalocosmici solis calore inuitatur & suum impetum habet, *rursus hac*, idest, aqua è venis ad prædictas partes exteriores corporis ab igne superante mouetur, & nutritio in ijs fi-ri incipit, *superueniente alimento, ab igne humido*, dum au em sol microcosmi *ad breuissimum* accedit, idest, dum autem idem ignis de nocte & inter somnum ad interiores corporis oras deuoluitur, *rursus hac*, idest, aquam è venis externoque corporis ambitu in easdem partes mouet & trahit, vt nutritio in hisce fiat, *superueniente alimento, ab igne, humido*; Attamen substantia nutricula quæ in exteriorem nutriendi corporis superfi iem de die inter vigilandum exciderat, ad internam corporis superficiem non attrahitur, sed ignis absentia superans & suum impetum habens nutritionem perficit, *superueniente alimento, ab aqua* Lib. de 6... *sicco.* Satis enim ex ea erumpit *frigidi, vt humidum condens re queat.* Hinc dictum aliàs à nobis tenebras, microcosmi nutritionem perficere: Quemadmodum enim calor externus de die humorem plantarum nutriculum è terra ad superas earum partes trahit, & vt ait Arist. Lib de plant. Quemadmodum externi caloris ope *ignis & aqua in ascensum festinant*, è terra, *vt plantæ fabricentur*; tenebræ idest, frigus per noctem calido diurno superuenientes, humorem attra-

ctum inciassat, apponit, agglutinat, & nutritionem perficit.

Quod si tantus sit ignis ardor in solidiore corporis substantia qui consumpta humiditate natiua, aquæ impetum omninò vetet, idest, qui impediat, ne substantia nutricula partibus nutriendis attractâ incrassetur, impingatur, apponatur, corpus sensim minuitur, siccatur & ad tabem perducitur. Hinc ait Hipp. *Animus humanus ad mortem vsque producitur, cum verò incensus fuerit, vna cum morbo corpus depascitur.* 6. Epid. sect. 5. text. 5. 27 Id est, ignis qui *homini seu animans est* vt ait Arist. probl. 10. aut quem *veteres animam esse importunè dixerunt,* 2. de part. anim. cap. 7. continuò producitur in corde, vt ex eo fluminis præ celeritate delitescentis instar fluat in vniuersum corporis habitum, de die ad externum & *longissimum*, & nocte ad internum & *breuissimum*; cum verò incensus fuerit, idest, cum verò super abundantiam ita concipit, vt à substantia nutricula mutuò superari non possit, sed illam continuò superet & moueat, vnà cum morbo, idest, causam morbi sese tunc temporis præbens, genij fraude corporis partes depascitur, exsiccat, ad tabem perducit.

Incenditur autem *animus*, idest, ignis, & *vnà cum morbo corpus depascitur*, socij hostisque principij, idest, aquæ defectu & siccitate, vel secretione: aqua deficit, dum vel per nares, os & cæteras partes, vel propter inediam, morbos diuturnos nimium veneris vsum exhauritur, vt *Grypalopi satyro* contigisse narrat

6. Epid. sect. 5. tex. 52. 2 de vict. rat. Hipp. Cum enim *veneris vsus* non tantùm *tabefaciat ob laborem*, sed etiam ob *frigiditatis*; idest, ob seminis *excretionem*; si plurimum illius è corpore detrahatur, quid mirum si corpus genio & *vltimo alimento*, *fineque suo* fraudatur vt ait Arist. incendatur siccescat, tabem

2 de morb. contrahat, quem *dorsalem recens sponsis & libidinosis familiarem* Hipp. indigitauit.

Inceditur ignis aquæ secretione, si bilis è cæterorum humorum compage soluatur, solutaque ardorem concipiat. Cum enim olei

2 de morb. instar *igni melius alimentum* suppeditet, febrem parit, eamque fortem & putridam. Idem accidit à putridis vaporibus ex alijs humoribus aut partibus vlceratis in cor elatis, queis lenta dolosaque febris ingeneratur.

Si ergo contigerit, vel putridæ febris à bile oriundæ vel alterius occasione maximè vlceris pulmonem occupantis ignem solidis partibus à natura insitum ita augescere earumque frigiditatem superare, vt citrà alterius causæ ministerium humores nutriculi è venis in solidas partes attracti non satis concrescere, suum impetum habere, ignemque superare possint *febris longa* quam HIPP. vocat, enascitur, idest, hectica, quæ continuo ignis corpori solido insiti & prædominantis impetu sensim humores fundendo mouendoque corpus ad siccitatem tabemque perducit. Depascitur autem hæc febris superas corporis partes potiùs quàm infernas, cum in partibus prædictis maior reperiatur humoris copia, quæ ignem ad eas solli-

citat,

citat, inuitatque, hoc atteſtante Hipp. his verbis: *Superiora vaſa magis humida ſunt, cum plures venæ ſint ſuperiore parte quàm inferiore, & capitis carnes minore indigeant humiditate.* *Lib de loc. in hom.*

Quod ſi quis poſt adhibitam præmeditationem neceſſariam talibus ægris lac exhibeat per longum temporis interuallum, bonum eſſe ait Hipp. cum nihil effluxam corporis ſubſtantiam magis reſtituat, humectet, impinguet.

Hanc veritatem firmat Hipp. non ſolùm in textu noſtro, ſed in alijs, & primùm quidem agendo de febre hectica, quæ ab ingenti ſeminis effuſione vt *Gripalopi* ducit originem, vbi ſic effatur: *Tabes dorſalis, &c. Cum ſic habuerit, ſi per exordia curandum ſuſceperis, fomento toti corpori admoto, medicamentum per ſuperiora purgans bibendum exhibeto, poſteaque caput purgato, deinde verò deorſum purgans propinato. Ad curationem autem vere præcipuè aggredi velis, poſtea ſerum aut lac aſininum propinato lac verò bubulum per quadraginta dies bibendum exhibeto. Veſperi autem quandiu lac bibet, alicam ſorbendam dato, à cibis autem abſtineat, cum verò à lactis potu ceſſauerit, mollibus cibis, à paucis initio ducto, eum reficito; & quam maximè incraſſato. Per annum crapula, venere & immoderatis exercitationibus abſtineat, præterquam deambulationibus, in quibus frigora & ſolem vitet. Tepida autem lauet.* Ideſt, Vt quis à tabe dorſali fiat immunis, purgato neceſſarijs medicamentis corpore, & ſeri aut lactis aſinini ſemel aut bis hauſti vſu ſuppurgato, lac bubulum quod craſſioris eſt naturę, per quadraginta *2 de morb*

dies assumat & à cæteris cibis abstineat, præterquàm vesperi quo tempore alicam semel sorbeat; vt superiorum exteriorumque partium ardor, ob conceptum in ventriculo alicæ vsu calorem ad internas infernasque corporis partes sollicitetur & caput relinquat, somnus
4 de mo. b hominem inuadat, pituita in sua *metropoli & fonte*, idest, in cerebro inualescat, attractaque per diem ad partes exteriores & superiores substantia nutricula incrassetur & apponatur; Cùm verò à lactis potu cessauerit *mollibus cibis*, idest, parum nutrientibus, frigidis, humidis, incrassantibus indulgeat & quàm maximè impinguetur. *Imbecilla enim victus ratio frigida est*,
6 Epid. sect. 4. text. 16. Per annum à crapula, venere & exercitijs immoderatis abstineat. Hæc enim omnia corpus incendunt & siccāt: Deambulationibus vtatur; Per has enim dum calor natiuus ad externas partes attrahitur sanguis ad earū irrigationem defertur, maximè si æger frigus & solem vitet; Vehemens enim frigus exhausta corpora somni longioris instar exsiccat; Sol vehemens ignem natiuum ad corpus externum nimis attrahendo idem præstat: Tepida autem lauet, idest, semicupijs ex aqua tepida comparatis etiam vtatur æger. Hæc enim b lando suo tepore ignem in superis partibus corporis incensum ad internas infernasque sollicitant; Hinc partes superę ad debitam temperiē deducuntur; queis remedijs non inutiliter addentur, cauteria fonticulos vocant, tibijs admota, & cæli mutatio per æstatem, vt posteriùs demonstrabitur.

Eandem ferè tabis dorsalis curationem lactis vsu factam repetit Hipp. lib. de internis affecti-

bus qui videatur.

Ejusdem affectus, idest, febris hecticæ naturam signa & curationem diuturno lactis vsu institutam repetit sub nomine *Typhos* his verbis: *Typhos: gignitur quidem hic morbus cum corporis humidum putrefactum & plus æquo resiccatum fuerit. Cum igitur morbo detentus fuerit, habitu est humecto, subpallido, & vesicæ vrina similis apparet, sed non intumescit, verùm tenuis est aridus ac debilis. In corpore autem præcipuè claviculæ extenuatur & vultus vehementer est gracilis, oculique admodum cavi, & hæc quidem ex morbo contingunt. Quod si corporis color niger extiterit, huius rei causa est, cum in venas & intern bilis atra subierit, cumque his calor superuenerit, venulas à calore exuri & resiccari necesse est, ac proinde sanguinem per venas excedere. Sic igitur afficitur. Hic tenuis & vehementer gracilis euadit, oculis raro nictatur & muscas in stragulis sectatur, cibis magis grauatur quam sanus, lichni extin ctu odore gaudet, frequēter in somnis seminis profluuiū patitur, & plerumque inter eundum ei genitura effunditur.* Hic cum sic habuerit ventrem superiorem videlicet, veratro nigro purgato, inferiorem verò scammonij succo. At post purgationem eadem quæ cæteris dato, & serum, lacque bubulum aut caprinum si anni tempus fuerit, exhibeto. Lac etiam asininum decoctum vt suppurgetur, dato. Ad hunc modum curatus, intra bienniū fere sanus euadit. Cibos quos velit accipiat, quàm plurimùm comedat, & pro ciborum ratione obambulet. Hic morbus viginti annis maiorem prehendit, cumque prehenderit, ni- Ibidem.

si per exordia curatio adhibita fuerit, non deserit, quin viginti anni prætererint, sed perseuerat, deinde nonnullis dum curatio adhibetur, recedit. Grauis autem est morbus. Idest, Affectionum sub nomine Typhos anteriùs descriptarum vltima est quæ à recentioribus febris hectica nominatur. Enascitur autem, cum solidiorum partium innata humiditas ab igne penitus corrupta fuerit, idest, à propria putâ frigida temperie ita deflexerit, vt attractit iuxta partes prædictas humores nutriculi suũ impetũ habere & concrescere non possint, sed continuò ignis in eos suum impetum habentis excessu & discrimine funduntur, diffluunt, corpore siccescente. Vbi primùm hic morbus hominem prehenderit, est perhumecto corpore, idest, tanta fit humorum liquatio ab igne vt in vapores vertantur, qui, dum somnus inuadit, ab exteriore partium frigiditate in sudorem concrescunt, non secus ac si quis post validam corporis exercitationem aut diuturnam sub sole feruente moram in loco frigido demoretur. hinc externus corporis habitus prægresso sudore ad instar vesicæ vrina plenæ madens lucet & pallet, nec tamen intumescit, sed exsiccatur aridus & debilis præcipuè in superis partibus quas vt pore cæteris humidiores febris hectica magis inuadere consueuit. Partea circa claniculas extenuantur, vultus gracilis est, oculi cauantur, tempora collabuntur, facies tandem ab Hipp. descripta in conspectum omnino
In prog. venit. Quòd si color niger ægrem deturpet, is procedit à nimia sanguinis adustione in venis

facta, quæ atrum humorem in carnes trahendum fouet: At quamuis corpus vniuersum magis ac magis caleat & ficcefcat, ęger tamen in phrenitidem non labitur, vt muscas & frusta sectetur;æqualis enim est & habitualis affectio in qua æger prope similes sanorum functiones edit. Cibis autem magis grauatur quàm sanus. Incalescit enim statim à cibo(quod præcipuum est hecticæ febris iudicium: ex eo quod, ventre præ alimentorum copia calorem validum concipiente *terra instar pra stercoribus in eam defoßis*, externisque partibus igneo febris ardore succensis, mutua frigidi & calidi dispensatio cessat. Lichni extincti odore gaudet æger. Hoc enim, ignis ad internas partes contrahitur & superas relinquit;Semen ex vniuerso corpore inter supinè dormiendum & aliquando inter deambulandum effundit, præ calore externi corporis, qui illud in tabe dorsali recens spensis & libidinosis familiari in spumam agit & liquat. Cum sic habuerit æger, venter superior, ideft, caput, si à fluxione ex eo in inferas partes decidua morbus originem trahat, veratro nigro purgetur, inferior, scammonio; vt bilis quæ è corpore exteriùs colliquescente in eum confluit,subducatur. At post purgationem eadem quæ cæteris dato; ideft, lacte asinino cocto, aut sero semel vel bis hausto suppurgetur: tum si anni tempestas opportuna fuerit, bubulo aut caprino per quadraginta quinque dies & plures incrassetur. HAC methodo medendi, si æger intra biennium

sanitatem assequatur, cibis gratioribus & crebris indulgeat, vt conualescentiæ faueat, & pro ratione ciborum ingestorum sese exerceat. Cæterùm hic morbus ferè viginti annis maiores, idest, iuuenes prehendit, & per totam hanc ætatem quæ ad trigesimum quintum aut quadragesimum annum extenditur, minitari solet, maximè æstate illi congenere; aliquando tamen in totum curatur. Decedit autem quadragesimo fere anno; Quia ætas consistens quæ tunc temporis incipit, frigiditati suæ, citò humiditatem accersit huic morbo penitus aduersam vt dicetur posteriùs.

10. *Si nullum ex supra dictis signum adsit.*

Postquam Hipp. aperuit queis ægris lac diuturno tempore ad nutritionem exhibendum est ne quis putet, his nulla adhibita præcautione, à medicis præscribendum esse, sic effatur: *Si nullum ex supradictis signum adsit.* Idest, lac autem tabidis & hecticis longo tēporis spatio exhibitum probè confert, modo suprascriptis præmeditationibus in considerationem rectè adhibitis præscribatur: si nimirum ægri dolore capitis non diuexentur, qui à calida illius intemperie bilis socia vt plurimùm ducit originem; si febrem acutam aut aliam seu continuam seu intermittentem à bile intra venas incensa non patiantur: si bilis infarcta non sit in venulis hepatis, è quo ilia flatibus suspendat, ventremque obmurmurare cogat: si secreta non sit in extero corporis ambitu aut in ventriculo, è quibus locis siticulosum hominem red-

dat: si continuis eiectionibus è corpore non subducatur: nec ingens facta sit sanguinis deperditio quę ignem bilemque foueat: vno verbo, si bilis intra corporis ambitum secreta nimiusque ardor non prohibeat,

Ex hisce pręmeditationibus, sequentes colligere, aut addere in promptu est.

PRIMA: lactis vsum pro curatione tabidorum & cęterorum, hyeme & vere prę alijs tempestatibus magis esse salubre: minùs, autumno: ęstate. periculosum. Hoc enim tempore putà ęstate, bilis viget in corpore, maximè eorũ qui natura vergunt ad tabem, queis, ob congenerem temperiem, ęstas & iuuentus quæ bili proportione respondent, infensæ sunt admodum. Præterea quemadmodum per eam tempestatem sol suo versus terram descensu humidiorem substantiæ nutriculæ portionem ad plantarum in superis partibus siccescentium radices mouere incipit: (Hoc illud experientibus florilegiorum cultoribus regionisque nostræ puellis, quæ rationis ignaræ, aduentante natalitio Beati Ioannis, attritos, iuxta partem è qua auulsi sunt, plantarum flores gestantium vt gariophyllorum surculos, in terræ humentis sinum immittere consueuerunt, vt ex ijs iuxta partem attritam intumescentibus & radices agentibus noue plante in lucem germinent,) Sol microcosmi humidiorem substantię nutriculę portionem è superis corporis partibus squallorem induentibus, ad ventrem qui idem est sentientibus, quod terra vegetantibus mo-

Hipp. de vict. rat. vere incipit: & quemadmodum *aqua in contemperatione, prædominante, ignis augeri non poteſt; ignis incurſibus ſuperantibus, forte aliquid aquæ addi non poteſt*, ideſt, & quemadmodum vbi frigus imperium tenet in homine per hyemem, calor in externo corpore augeri non ſatis poteſt vt frigidas humidaſque affectiones expugnet. ſæuiente ob calidam febris hecticę æſtiuæque tempeſtatis naturam in partibus externis igne, *aliquid aquæ addi non poteſt*; ideſt, ſubſtantia nutricula in externo corpore incraſſari non ſatis poteſt, vt calidas ſiccaſque affectiones expugnet, ſed quidquid è venis & ventre trahitur, continuò defluit, & illud magis magiſque ſicceſcit; quia in eo corporis ambitu, ſola nutritio

1. de vict. rat. fit, *ſuperueniente alimento, ab igne humido*, & quæ *ſuperueniente alimẽto ab aqua, ſicco*, nóctùrnis horis ſuccedere debet, fieri nullatenus poteſt; Hinc corpora defluunt ſicceſcunt, tabem incurrunt; Si ergo quis æſtiua tẽpeſtate lac exhibeat, quod facile bileſcit & calet; nonne bili & igni prædominantibus alimentum præbet, queis corpora citiùs ad tabem deducantur; Hinc Hippocra-

Lib. de inter. affect. tes dum lac in tabis dorſalis curatione ſuperiùs enarrata præſcribit, *videndum ſi anni tempeſtas ferat*, addit, ideſt, ſi æſtas adſit: hac enim tempeſtate nocet. Idem repetit in curatione vlceris, & febris hecticæ ſub nomine Typhos. In his enim locis, *ſi tempus ferat*, ideſt, ſi æſtas non prohibeat, addit. Pręſcripſit etiam lac hyeme *Bratolai puero, Mneſianacti*, & cęteris ægris inferiùs afferendis.

Nec tamen ęgri pee ęſtatem à lacte ſecreto, ideſt,

idest, à sero lactis sunt penitus interdicendi: Cùm enim serum, terræ Megalocosmi proportione respondeat vt dictum, igni alimentum suppeditare non potest, quia *aër igni nutrimentum præbet*: Dum autem serum internam externamque corporis circumferentiam cum sanguine permeat, potenter refrigeat, tum à propria natura: tum quia quidquid bilis continuo ignis hac tempestate in humores sęuientis discrimine ex ijs secernitur, per aluum aut vesicam secum abducit. Quòd autem serum igni nutrimentum non prębeat docuit Hipp. dum enarratis tribus humoribus, de *aqua*, idest, de humore melancholico cui serum proportione respondet, sic effatur: *Aqua autem*, idest, serum humorem, *igni alimentum minimè præbet.* Et meritò quidem vt dictum, cùm frigidioris & siccioris naturę sit, neque proinde ignis illud tam facilè permeet, quàm corpora humida & calida iuxta Hipp. textum: *Neque per solidum neque per siccum*, quale est serum, *diutiùs permeare potest ignis, cùm alimentum non habeat* putà aërem, quo serum terrę æmulum destituitur; *per humida & molliꝰ potest*, ac proinde per cæteros humores, *quod hæc ipsius sint alimentum.*

Lib. de flat.

Lib de inter affect.

l. de vict. rat.

Dicet aliquis Hipp. in hoc textu aquæ nomine omnium humorum massam intellexisse: sed minimè. Duplex enim est nominis aquæ vsurpatio in homine apud Hipp. Vel enim de aqua simpliciter loquitur, eamque igni associat: vt cùm ait *Neque ignis & aqua idem sunt, omnia tum animantia, tum homo ipse ex duobus*

Lib. de nat. hom

1. & 2. de vict. rat. *constant facultate quidem diuersis, vsu verò consentientibus igne inquam & aqua*: In quibus textibus, aquæ nomine massam humorum, aut potiùs humores citra substantiarum discremptum & secretionem intelligit: vel cæteris humoribus, pituitæ, sanguini, bili, aquam adjungit vt in textu prędicto, in libro de natura hom. de genitura, de affectionibus, quarto de morbis, in quibus textibus aquę nomine humorem melancholicum intelligit, qui ex eo quòd intra venas & corporis habitum cæteros diluit & referente Hipp. *alimento*, ideſt, cæteris humoribus *vehiculum præbet, aquæ, humiditatis, tenuis sanguinis qui vigiles & pauides facit*, nomen præ cęteris sibi vindicasse videtur, licet rectiùs sanguis ichoroides, aut ichor nominaretur.

Lib. de nat. hom. Quòd autem lactis vsus maximè prosit hyeme & vere, minùs autumno, ex eo licet conijcere, quod hyeme pituita bili contraria cum atra bile dominatur in homine: vere adhuc cum sanguine: & quemadmodum sol suo versus cœlum ascensu in circulos suos reuertens, satiscente ob frigidi superantis vires siccitate prægresſę tempestatis sequaci, humidiorem substantiæ nutriculæ portionem ad externas vegetantium partes trahere incipit: Ignis natiuus humorem restituendæ corporis substantiæ necessarium ad externam corporis superficiem, adiuuante non parum extraneo morbi calore trahit & frigidi ob tempestatis naturam prædominantis ope incrassat, apponit, agglutinat Autumno autem cum atra bile flaua bilis domi-

natur, ob prægressæ æstatis caliditatem & siccitatem; & quemadmodum in megalocosmo sol suo versus terram descensu humores nutriculos in eam & vegetantium radices trahit; Sol microcosmi qui medicatricis naturæ remedium est, æquè ac doctæ instrumentum, in ea tempestate præ cæteris, serum humorem restituendæ corporis substantiæ necessarium, ad ventrem, *qui idem est sentientibus, quod terra vegetantibus vt* mouet, & superis partibus siccitatem accersit, indeque *autumnus tabidis malus*. Lac ergo hyeme, si cætera consentiant, difficilè potest in bilem facessere, maximè in externo corporis ambitu; vere similiter nisi admodum prouectum sit, faciliùs autumno affecto sed non confecto; quod si per illam tempestatem, putâ, per hyemem, lac ægrotantibus exhibeas, quo substantiam corporis exsiccatam humectes & incrasses, hoc facilè transit in sanguinem, quidum ad partes externas inter vigilandum attrahitur, *superueniens alimentum, ab igne, humidum.* Dum autem inter dormiendum apponitur, *superuenit alimentum, ab aqua siccum*, & nutritio perficitur; eò maximè quo pituita ob cœli frigiditatem in externo corporis ambitu ingens, nimium ignis augmentum non modò vetat, sed ita temperat vt humorem nutriculum facili negotio trahere possit, cousumere & dissipare non possit, vt dictum.

His ratio non inelegans adscribetur. *In vsu ciborum magis delinquitur per æstatem, per hyemem minùs* Cùm enim hyeme venter caleat, frigeat *Lib. de inter affect.*

æſtate, in qua exteriora corporis calent & in hyeme frigent; ſi quis tabe aut febre hectica laborantes copioſo lacte reficiat, *Corpus implebi-* 4 de morb *tur & compreſſis a plenitudine venis calor ac dolor a lerit, æſtate quidem citiùs, hyeme verò tardiùs; æſtate enim circunſtans aër calidus eſt, calidioremque ad ſe corpus trahit. At ſi calido adhuc ventriculo, iuſto calidior homini ſpiritus*(ideſt aër externus) *a liungatur, minimè mirandum eſt ex eo hominem febricitare. Cùm verò ſpiritum frigidum hyeme ad ad ſe attrahat, multò magis corpus plenitudinem perferre queat, homine parum aluum exonerante:* Quod experientia magis comprobatur in his qui febre hectica conficiunturr, qui *cibis magis grauantur quam ſani*. vt dictum ſuperiùs.

Cùm enim calidam à propria morbi natura exterarum partium corporis temperiem obtineant; vbi ſemel cibum ſumpſerunt, quia venter eo ſeu terra ſtercore incaleſcit; ceſſante mutua frigidi & calidi diſpenſatione citiùs febricitant, æſtate grauiùs, hyeme minùs; quia æſtas caliditati morbi, tempeſtatis caliditatem aſſociat; hyems temporis frigiditate, morbi caliditatem temperat & refringit. Quæ cùm ita ſint: quis non videat, corpore, lactis copia per æſtatem repleto, ingens febris periculum adeſſe: cùm lac non ſolùm copia ſua, ſed propria natura calorem corporis augeat, & bilem generet.

Idem arguendum de regionibus quod de tempeſtatibus anni. In calidiore enim vt in no-

ſtra , lactis vſus ſalubris vix eſſe poteſt pro corporis nutritione præterquam hyeme : In frigidiore , non ſolùm hyeme , ſed etiam cæteris , potiſſimùm verè & autumno.

Huiuſce concluſionis veritatem ſatis ſuperqueprobat experientia. In noſtris enim regionibus , lac tot ægrotantes è medio tollere conſueuit , ob vſum intempeſtiuum ſupraſcriptis temporibus inſtitutum , vt non pauci medicorum , tabidis noxium eſſe promulgent importunè , ægri frequenti clade vſum infament , vixque illi dum ſummo vitæ diſcrimine poſiti ſunt , res ſuas committi patiantur : Ego ipſe dum ad Hipp. mentem , lactis vſum ineunte hyeme hecticis nutriendis reficiendiſque præſcribendum eſſe in conſultationibus aſſererem , tam paruam in artis ſocijs & pauentibus ægris huiuſce rei fidem à prima fronte reperi , vt ſola experientia , quæ tanto remedio hac tempeſtate fœliciter à me præſcripto , multos ægros contra omnium ſpem à morte vindicauit , in meam ſententiam fuerint non ſine difficultate perducti.

Contrarium accidit in ſolo frigidiore , in quo lactis vſus ita eſt familiaris & ſalubris , vt morbos ferè incurabiles penitus ſuperet vt poſteriùs afferetur , nec , cum præmeditatione debita , ſumptum , fere vnquam noceat.

Præſcribant ergo noſtrates medici, his queis opus eſt , lac ineunte hyeme , vere ſimiliter affecto, minimùm ſi fieri poſſit autumno , niſi pene confecto , numquam niſi ſerum ſolum ,

æstate, si cætera consentiant, magno ægris emolumento futurum.

Attamen quia corpora ad tabem propensorum, vel ea aut febre hectica laborantium ob ignem & bilem in eorum temperie prædominantem superueniente æstate de nouo possent diffluere, & cum vitæ dispendio in pristinum affectum reuocari: præscribere soleo, vt ea tempestate aërem mutent, frigidioremque regionem vt montanam aut aliam niuibus per hyemen obsitam adeant: In ea enim per totam æstiuæ tempestatis inclementiam sani degunt, ob fractum cœli frigiditate natiuum ignem extero corpori insilientem, *cuius incursibus* in patria calidiore *superantibus*, aqua, idest, humor nutriculus eorum corporibus addi non posset, & ex ijs facilè difflueret: quòd si ad tabem propensi hanc cœli mutationem obseruent toto tempore quo naturâ vergunt ad eam, putâ à decimo octauo ad trigesimum quintum & quadragesimum annum, nulli dubium esse debet, quin à tanto morbo sint euasuri. Superuenit enim hoc tempore ætas consistens, quæ quia *frigida* est, & ob prægressam iuuentutem
1. de vict. rat. *sicca*: frigiditati, citò humiditatem accersit vt dictum superiùs, queis homines ab eo morbo in totum vindicantur.

1. de vict. rat. Quia vt ait Hipp. ii, id est, calida & sicca natura præditi, *dum senes sunt, & ad vtrosque*, idest, & ad consistentem ætatem & senectam *proximè accedunt, maximè sani sunt.*

6. Epid. Hanc soli mutationem præscripsit Hipp. his

verbis. *Terram mutare confert in morbis longis*, qualesfunt tabes & febris hectica vt dictum tex tu 9. Cum enim hi morbi dolosi fint & multa tionibus obnoxij, quiescant hyeme, & in locis frigidis, æstate verò & in locis calidis ingrauescant: si ægri è solo calidiore in frigidius tranferri & in eo integrè habitare non possint, per æstatem in illud transferantur: vt cœli frigiditate, calido morbi & naturę suę temperamento tunc temporis obsistentes à morbo fiant immunes. Cœlum tamen mutare caueant postquam ea est febris hecticę vis, vt humoris nutriculi appositionem in corpore penitus vetet: Hoc enim tempore, inutile est, vt Chærioni, de quo sic effatur Hipp. *In morbis vagis & facilè mutabilibus, mutationes iuuant: sed mutationes ad loca conuenientia fieri oportet, priusquam vitium aliquod contrahatur: quale quid Charioni accidit*: & rectè quidem: In eo enim casu, ideſt, vbi vitium contractum est, cerebrum, in quo pręcipua tabidorum & hecticorum spes reposita est, cum reliquo corpori refrigetando natum, metropolis frigidi & humidi, pituitęque fons sit, *penitus corrumpitur*, vt ait Hipp. ideſt, à debita temperie ita deflectit vt omnino liquescat & diarrhęa spumosa vniuersi corporis œconomiam perturbet, eo, ob continua humoris effluuia, in superis partibus omnino siccescente.

sect. 6. text. 19.

6. Epid. sect 6. text. 16.

2. de morb

Quod autem cœli mutatio in morbis calidis vt tabe & febre hectica per æstiuam tempestatem facienda sit in solum frigidius apertissimè

6. Epid. sect. 6. text. 19. demonstrauit. Hinc enim ait Hipp. *Percalidam naturam in tempore calido, cubile in aëre frigido incrassat, in calido verò extenuat.* Idest, si percalidam ac proinde siccam naturam qualis est ea quæ vergit ad tabem, quis incrassare desiderat, dum calidior aëris constitutio sæuit, ægrum in regionem frigidam traducat necesse est; vt frigiditas cœli, naturæ caliditatem euincens, humorem nutriculum externis partibus nutriendis attractum diffluere non modò vetet, sed *superueniente alimento, ab aqua, sicco*, incrasset,

1. de vict. rat. & corpus impinguet. Quod si prædicta natura donatus æger, æstate sæuiente in loco calido demoretur & dormiat, magis extenuatur

Ibidem & diffluit, *superueniente* solùm *alimento, ab igne, humido.* Neque enim ex humore nutriculo in partibus externis congesto, satis frigidi potest erumpere vt eum cogat, incrasset, apponat; defluit ergo nullo negotio, & corpus exsiccatur.

Ouium experientia satis superque probare videtur, quantùm ad sanitatem eorum qui vergunt ad tabem prædicta cœli mutatio conferat. Oues in locis frigidioribus & niue plurimâ per hymen obsitis natæ, continuóque enutritæ, cæteris saniores & obesiores sunt: quia per hyemen in stabulís inclusæ necessario calore non destituuntur, nec per æstatem frigore: Quæ in nostris regionibus cæterisque calidioribus nascuntur nutriunturque, per hyemen in ijs facilè debent ob tempestatis frigiditatem: At ni sub finem veris in solum frigidius vt montanum traducantur, præ cœli caliditate

marcescunt & nullo negotio moriuntur. Hinc apud nos ouium greges sub finem veris ad montes traducendi mos inualuit: quem cum videant sæpissimè medici, cur in hominum conseruatione aliquando non imitantur.

Quod si ad tabem propensi per æstatem è calidiore solo in montanum frigidius sese conferre non possint vt moniales permultæ, *Quemadmodum arbores cum ratione careant, æquinoctio vernali sibi comparant ad æstatis commoditatem, tum incrementū tum vmbracula: ita & homines cum mente præditi sint carnis incrementum salubre sibi comparent*: 3. de vict. rat. Caueāt in tempestate æstiua, ne validis corporis & animi motibus, calida victus ratione, venere & cæteris, calidiorem sicciorемque externi corporis intemperiem denuo accersant, qua breui consumantur & pereant: benignis purgantibus rarò vtantur, sero lactis potiùs suppurgentur, mollibus enematis, semicupiis tepidis mane & hora quarta pomeridiana vt par est institutis sese committant, calidam aëris inclementiam vitent, dormiant in loco frigido, *somnis à prandio breuibus*, parum edant, sed sæpius, cibos autem molles, vt agendo de generatione & curatione febris hecticæ sub nomine *Thyphos* anterius dictum fuit. 2. de vict. rat.

Monendæ interim Moniales, ne iuuenculæ quarum natura vergit ad tabem maximè si vsu lactis hyberno vernoque tempore hausti ab ea liberatæ fuerint, quadragesimali jeiunio corpus denuo exsiccent: aut (quod imprimis notandum:) Monendæ, vt peracta quadragesi-

ma, vetulæ frigidioris naturæ, quò æstate calorem augere possint, solitis decem dierum exercitijs (pium perfugium indigitant) sub finem veris: iuuenes vt tabem vitent, & per hyemen, refrigerentur, sub finem autumni sese committant: Hæc enim, exucca quadragesimali ieiunio corpora iuuenum sub finem veris ita incendunt, vt breui in febrem lentam incidant: quæ cùm, lactis vsu, per æstatem curari non possit, tantas hac tempestate & autumno radices agit, vt nullo deinceps remedio superari possit.

Hisce premeditationibus & remedijs addentur cauteria partibus infernis putâ tibijs maximè dextræ per longum tempus seruata, quæ ad febris hecticæ præcautionem & curationem non parum afferunt emolumenti. Hæc enim, *externâ noxâ*, igneum superiorum partium calorem ad infernas internasque reuellunt, & debitam, incenso superiori corpori, temperiem conciliant, roborantur hepar in quo *bilis locus*, residet, quam proinde *obseruato naturalis circuitus* humorum *ordine* per aluum & vesicam repurgat. Indeque ait HIPP. *calido corpori interna refrigeratio comparatur*, *cibo* refrigerante ingesto, *sole*, *igne*, *vestitu*, *æstiuo tempore*, quæ omnia calorem ex intimis visceribus ad exteriora trahunt, *externa noxa*, vt cauterio inusta, ad quam natura ignem medicatricem ex internis partibus amandat.

4 *de morb.* Plato in Tymæo

6. Epid. sect. 5. text. 24.

Quod si quis in tibijs inurat, dubium esse non debet, quin hæc non solùm è partibus

internis

internis ad externas, sed è superis ad inferas calorem trahat, vt frequens experientia comprobauit. Hinc ad colicæ & suffocationis vteri præcautionem, cauteria tibiis admota maximè prosunt; Cùm enim hi affectus interceptis ob ignis inopiam à pituita aut atra bile venulis intestinorum aut vteri genio deficientium nutriculis trahant originem; cauteria tibijs inusta ignem è superis partibus ad infernas alliciunt, hic pituitam venulis affixam liquat, fundit, interceptionem; & ab ea colicum & histericum dolorem, humectatis intestinis & vtero, penitus dissipat, *superueniente* ijs partibus *alimento*, *ab igne, humido.* 1. *de vict. rat.*

His patet, quàm longè à scopo aberrent, plerique medicorum, in nostris potissimùm regionibus, qui vbi aliquem ad febrem lentam vergere, aut tussi detineri conspiciunt, derepente præscribunt cauteria ceruici, collo, supremo capiti aut brachiis inurenda, quæ magno ægrorum discrimine ignem ex internis partibus ad superas extremasque allicentia, febrem hecticam inducunt, inductamque maximè fouent. Quod si in huiusce remedij non inutili disquisitione tantisper mihi liceat expatiari. Non eo quidem inficias cauteria in multis ad tabem propensis supero corpori inusta non parum esse proficua, modò tabes à fluxione è cerebro in partes inferas pulmonesque, originem trahat. Cùm enim cerebrum *pituitæ fons* 4 *de mo.b.* sit, vt dictum, si calore non satis perfundatur, vt potissimùm in regionibus vento borea-

li nimiùm per flatis, ad septentrionem per flumina sitis contingere solet, ingentem pituitæ copiam ad sese trahens per aluum & vesicam à prima fronte non satis expurgat; hæc restagnat, in cerebro, in quo præ sui copia incalescit, fluxilis euadit, tandemque in inferas partes decumbit, & varios affectus ingenerat: si in intestina decidat, spumosam diarrhæam parit; si in venas costarum nutriculas, ijs nutritione fraudatis, ægros incuruat; si in penitiores bronchiorum recessus veteri humore infarctos, asthma & orthopnæam affert; si in coxendicum acetabula, ea deponit è suo loco; si in pulmones à natura sua spongiæ æmulos, cruda tubercula, & sæpius præ acri salsedine vlcera, & ab vlceribus exsiccato corpore tabem accersit. In hisce ergo casibus multisque alijs cauteria supero corpori rectè inuruntur: Quemadmodum enim etsi tremores vniuersum *Ancil-*
2. Ibid. *la Stymargi Idumea* corpus occuparent, Hipp.
Sect. 4. venam malleoli illius secari iussit; quia cùm prædicti *tremores ab vtero post partum conuoluto*, id est, à suffocatione vteri à crassis humoribus aut flatibus venulas illius nutriculas intercipientibus & vterum genio fraudantibus originem ducerent; vteri conuulsioni occurrendum fuit venæ sectioni tali quæ ignem & sanguinem ad vterum attrahendo suffocationem tollit, & vt ait Hipp. quia *ad causam ipsam & causæ occasionem aut primordia deueniendum erat*: Pari ratione, si febris hectica à defluente, è cerebro pituita nimiùm in eo coacervata, & præ sui

copia calorem, & à calore tenuitatem concipiente originem trahat, cauteria supero corpori inurenda sunt; Quia ad ipsam causam & causæ occasionem aut primordia deueniendum est. Tunc enim temporis, ignis natiuus qui cauteriorū lenocinio ad superas corporis partes ex internis allicitur, cerebrum debito calore perfundit; id, pituitam *cuius est fons*, cæteris humoribus prædominantem ad sese trahit, & obseruato (vt dictum) *circuitus* humorum corpus irrigantium *ordine* cæteris partibus ad nutritionem distribuit; quod verò reliquum est & superfluum, in ventrem, vt per aluum & vesicam expellatur præter cætera loca, magno ægrotum iuuamine refundit. Idem accidit inusto tibiæ dextræ cauterio. Hoc enim non solùm ignem ex supero corporis ambitu in inferiorem, sed etiam cum igne bilem in eo sępissime stagnantem secretamque ad hepar seu *fontem & locum illius* trahit, quem debito calore ita perfundit, vt eam per aluum & vesicam, magno hecticorum, & hac de causa ferè hepaticorum emolumento deturbet, vt postetiùs enarrabitur in curatione hepaticorum vsu lactis instituta, quibus, si affectio lacte non soluatur & eradicetur, *inustiones* iuxtà hepar præscribere solet Hipp.

4 *de morb*

Ibidem.

SECVNDA: ex suprascriptis Hipp. verbis colligere aut addere non est difficile: lac muliebre pro præseruatione aut curatione eorum qui vergunt ad tabem, aut ea conflictantur & cęte-

torum lacte ouillo & caprillo minùs esse salubre, ouillum & caprillum asinino, asininum equino & bubulo, & inter bubulum, lac vaccæ nigræ præferendum. Lac enim muliebre cęteris validiùs nutrit & tenuius est, ac proinde
6. Epid. calidius; *Valida enim victus ratio, calida est*: vn-
sect. 4. de quamuis, in statu sano lac muliebre pueris
text. 16. nutriendis salubrius sit, & vt ait Hipp. *His pro*
Lib. de *natura alimentum sit*; attamen dum fit recessus à
Alim. naturali statu & siccitas ignea hominem adoritur, faciliùs incalescit, defluit, & vt ait HIPP.
Ibidem, *Aliis minimè alimentum est*. Indeque Hipp. nul-
1. & 2 de lam lactis muliebris pro curatione tabidorum
morb mul. mentionem fecit, solisque morbis externis vte-
3 de morb. ri, aut auribus à pure è cerebri tumoribus in
Lib. de eas deciduo colluendis, aut remedijs compo-
his quæ nendis præscripsit. Ouillum muliebri minùs
vterum nutrit, magis tamen caprillo, quod magis
non gerūt. per aluum secedit, minùs tamen asinino, quod
2 de vict. equino & bubulo magis per aluum secedit. Lac
rat. 6. ergo asininum & bubulum cęteris in curatio-
Epid. 6. 9 ne tabescentium & aliorum præferri debet; illud ad suppurgationem, hoc ad nutritionem. Cùm enim hæc animalia *multi sanguinis sint, & quibus sanguis atrabilis*, lac quod in ijs generatur, maximè asininum sero præ cęteris substantijs abundat, quod igneo tabidorum & cęterorum calori validiùs occurrit, & si quid bilis ex humoribus secernitur, per aluum aut vesicam secum abducit. Ad hæc, cùm hæc *animalia crassioris naturæ sint, hæc ventriculo faci-*
4 de morb *le denunciat, quod ipsis salubrius futurum est*: lac

ergo quod in ijs generatur, maximè bubulum crassioris est substantiæ quæ tabidorum & cæterorum corporibus apposita non tam facilè solet diffluere: lac autem vaccæ nigræ ceteris vaccarum præferri debet. Flauus enim color flauę bilis naturam magis sapit, niger atrę: *Qualem enim humorem caro attraxerit siue album, siue nigrum, siue flauum, talem colorem capillus induit: quibus* autem atra bilis; *lac copiosius & crassius non secus ac sanguis.* Lib. de nat. 3. de vict. rat.

Has lactis differentias, earumque varios vsus pro infantium nutritione morborumque curatione hisce verbis obscuris descripsit Hipp. *lac alienum probum, lac proprium noxium, lac alienum noxium, lac proprium vtile.* Idest, vt lactis variæ sunt differentiæ; aliudque est proprium, aliud alienum: ita & vsus. Lac proprium vtile est in statu sano vt muliebre suo fœtui, quia *huic pro natura alimentum est* ait Hipp. noxium tamen est in statu morboso superius scripto, quia tenuius est cæteris, faciliùs bilescit, calet, diffluit, & vt ait Hipp. *huic minimè alimentum est*, sed morbi materia: Contrarium accidit lacti alieno maximè bubulo & asinino, quę dum sano homini fœtui nocent, quia ipsi *minimè pro natura alimentum sunt*: ægros restituunt. quia recessum, à naturali statu prorsus euiscunt, corpora impinguant, reficiunt, & colliquationem auferunt. Lib. de Alim.

TERTIA: ex supra scriptis Hipp. verbis colligere non est difficile, in vsu lactis pro corporis nutritione, ab alijs cibis præterquam

vesperi abstinendum esse. Cùm enim *venter calefiat dum impletur*, æger vt plurimùm siticulosus euadit, lac bilescit in illius ventriculo, & ni quis, leni purgatione citiùs occurrat, febrem putridam & cęteros affectus à bile oriundos parit. Quod contingere non potest à repetita per diem lactis potione. HOC enim *cùm res prorsus concocta sit* vt dictum ex Arist. parum moratur in ventriculo & protinus in venas & sanguinem, & cum eo in partes corporis ignea siccitate famescentes exhaustasque se confert, queis dum apponitur, veterem & morbosum humorem, si quis in ijs superstes sit, ad venas repellit, vt per aluum & vesicam è corpore subducatur: vesperi tamen aliquid ciborum concedendum: vt calore è superis externisque partibus ad ventrem præ cibis incalescẽte attracto, pituita in proprio fonte putà in cerebro refrigescat, somnus hominem inuadat, & nutritio in externo corporis ambitu fiat, *superueniente, alimento ab aqua, sicco*. Indeque Hipp. in curatione tabis quam *dorsalem* appellat, *lac bubulum per quadraginta dies sorbendum dato* (ait) *à cibis autem abstineat, vesperi tamen quãdiu lac bibet, alicam sorbendam dato*. Hinc etiam in fluxuum curatione, vt posteriùs dicetur, iejunium præscripsit, & pro curatione dissenteriæ qua *filius Eratolai* detinebatur, dum lactis vsum consulit, *semel in die cibum sumebat*, addit, eodem modo procedit in curatione vomitus sanguinis & cæterorum morborum, vt in ijs, & sequentibus historijs differetur.

Lib. de hem.

4. de gener. anim cap. 8.

1. de vict. rat.

2 de morb

2. Epid.

7. Epid.

11. *Et præter rationem extenuatis.*

Postquam Hipp. pro doctrinæ suæ veluti fundamento constituit, lac tabe aut febre hectica laborantibus ad curationem conuenire, & præmeditationes attulit, quæ intra illius vsum sunt in considerationem adhibendæ: Ex hocce veluti theoremate videtur deducere in quibus alijs morbis conferre poterit. Sunt autem ij in quibus ægri plus quàm par est extenuantur: & meritò quidem. Hi enim morbi non solùm à colliquatione cerebri aut habitus corporis ducunt originem, vel eam accersunt, *sed diuturni sunt*, qui vt ait Hipp. *in his qui ambiguè se habent*, idest, qui à naturâ propensi sunt ad tabem, *eam confirmant*. Inter eos recenseutur. 6. Epid. sect. 7. text. 14.

Primò: tussis inueterata è cerebro colliquescente tenuesque & acres humores in fauces, thoracem & pulmonem demittente originem ducens. Vt enim ait Hipp. *Cum cerebrũ colliquatũ plurimam materiã ex se in palatum & fauces, & pulmones reliquumque ventrem demiserit, id percipiunt homines, & ex capite distillare dicunt; & si in reliquum corpus etiam distillat, idque cum quodam calore contingit*. Quæ cum ita sint, quis non videat, lactis vsum in prædicta tussi apprimè salutarem esse, cum humores acres educat corpus refrigeret, incrasset, vt non facile possint liquescere. quod si tussis quamuis diuturna ab humorum copia magis quàm acrimonia & tenuitate procedat, quia tunc temporis *modico cibo vti* vt humor minuatur *acribus & salsis abstinere*, ne fundatur & acrimoniam concipiens in Lib de carn.

partes inferiores magis ruat, & *corpus exercitiis exsiccare*, vt superflui humores abigantur, magis quàm nutrire confert, lactis vsus si non noceat, non multùm prodest, vt *Calligeni*.

2. Si vena arteriosa aut arteria venosa diuellantur & sanguinem in bronchia emittant, aut propter fluxionem acrem è cerebro in pulmones deciduam, *exercitationem nimiã, cursum, casũ, vomitum, febrem: quia in hoc morbo gracilem esse minimè confert, & quã maximè vires reficere conuenit vt maximè crassus euadat æger; euacuato vt par est corpore, & sero aut lactis asinini vsu suppurgato, lac bubulum quam plurimum aqua mulsa tertia parte admixta bibat, sicque conualescet.* Ait Hipp. *Quòd si hac curatione sanatus sit, satis est: sin minus, vbi eum lacte crassiorem reddideris, in pectore & dorso inurito. Si enim vstio bene successerit, morbum euadendi spes est.*

Lib. de inter. aff.

3. Si sanguis post partum ex vtero conuoluto in hepar refluat, & ex hepate per venas diuulsas in ventriculum effundatur, è quo per vomitum excludatur, purgato debitis medicamentis corpore & sero lactis aut lacte asinino suppurgato, lac vaccæ nigræ per quadraginta quinque dies sine cibo prætetquam vesperi præscripsit Hipp. his verbis: *Si Mulier ex partu sanguinem vomat, hepatis fistula sauciata est, & dolor ad viscera procedit & cor conuellitur.* Id est, si mulier à partu sanguinem per vomitum reijciat, venarum quæ ex hepate ad ventriculum tendunt aliqua diuulsa est, è qua sanguis ex vtero conuoluto in hepar refluens effunditur in ven-

Lib. de nat. mul.

ventriculum. Inde partes, huic, ideſt, ventriculo & hepati reſpondentes quas pueri cor indigitant, opprimuntur & dolent. *Hanc multa calida lauare oportet, in infernis corporis locis* vt ſanguis ad eas partes trahatur, *& tepefactoria quæ maximè admiſerit adhibere*, ideſt, & relaxantia per fumum ex prædictis locis inferre quæ ingrato odore non feriant conuellantque vterum, ſed ſuaui trahant inferiùs, & cum eo ſanguinem prædictum; *& lac aſininum bibendum ad dies quinque dare*, quò bilis quæ poſt ſanguinis euacuationem cùm ægri reficiuntur ventres humectare ſolet, eo remedio ſuppurgetur; quo facto, *poſtea verò lac vaccæ nigræ bibendum præbere, ita vt ſine cibo degat, ad dies quadraginta*, vt corpus impinguet, & gracilitatem in hiſce morbis maximè periculoſam arceat; *ad veſperam verò ſeſamum tritum bibat, cum cibis*: Hoc enim maxima impinguandi vi pollet: *Morbus hic eſt periculoſus*. Repetit his verbis. *Si mulier ex partu ſanguinem vomat, huic hepatis fiſtula ſauciata eſt; hæc lac aſinæ bibat, deinde vaccæ nigræ ad quadraginta dies, & ſeſamum tritum, donec probè habeat, bibat autem lac ieiuna.* 4 de morb. De nat. muliеb.

4. Dolor hepatis qui vt plurimùm contingit in ijs qui natura vergunt ad tabem, longo lactis vſu non parum minuitur. Cùm enim *bilis locus in iecore ſit*, quidquid illius in ſuperis exteriſque corporis partibus quas febris lenta potiſſimùm exſiccare conſueuit, ab *incenſo animo*, ideſt, ab igneo calore ſecernitur, ad locum ſuum ſitum in hepate ob allectum ad ſu- 4 de morb. 6. Epid.

peras exterasque partes calorem refrigescente ita deriuatur, vt hepatis venas intercipiat, & plurimi medicorum, febrem hecticam ab obstructione viscerum originem ducere sibi persuadeant], quam obstructionem, seu labem primariam vt è corpore deturbent, medicamentis purgantibus & aperientibus validis oppugnant, magno ægrorum discrimine. Hæc enim medicamenta, non tam ex hepate refrigerato & obstructo in aluum, quàm è superis corporis locis incalescentibus & colliquatis humores trahunt in hepar, febri hecticæ & obstructioni fauent; qua in re grauissimè peccatur à medicis. Cùm enim hic dolor hepatis ab infarcta illius venulis bile ducat originem, hæcque ab ignea partium exteriorum colli-
2. Epid. quescentium temperie: curari non potest, *ni*
sect. 4. *ad primam mali causam & causa occasionem deueniendo*, vt dictùm superiùs ex Hipp. Hoc autem fit, si purgato à bile superflua, lenibus medicamentis corpore, & sero lactis aut lacte asinino per aliquot dies suppurgato, igneus superiorũ partium calor crebri tepentisque semicupij & cauterij tibiæ dextræ, aut ad mentem Hipp. iuxta hepar inusti diutiùsque seruati vsu ad ventrem alliciatur; tum si anni tempestas ferat; exteræ corporis partes lactis bubuli vsu per longum tempus demptis alijs cibis præterquam vesperi nutriantur, refrigerentur, impinguentur. Cessante enim colliquatione externarum partium corporis dolor hepatis cessare consueuit, quod facili experientia compro-

batur in hyeme. Hac enim tempestate, *quia non tam delinquitur quam æstiua*, & partes externæ corporis ob frigiditatem aëris ambientis non tam facilè colliquescunt, internæque magis calent, hepar non tantopere dolet. *Lib de inter affect.*

Hanc methodum medendi docet HIPP. in descriptione alterius morbi hepatici in qua sic effatur: Alius morbus hepaticus in quo dolores quidem eodem modo ad hepar vrgent, & color à priore differt cùm malicorium referat. Contingit autem repentè æstatis tempore. Oritur verò ex carnis bubulæ esu & vini nimio potu. Hæc enim omnia isto anni tempore iecori sunt infensissima, & bilem maximè ad hepar propellunt. Sic igitur afficitur, dolores acuti ingruunt neque hora vlla deserunt, sed semper magis vrgent. Interdum etiam bilem pallidam vomit, & vbi vomuerit, meliusculè habere videtur. Quòd si vomitione non reiecerit, bilis ad oculos decumbit, & admodum pallidi fiunt, pedesque intumescunt. Atque hæc interdum quidem valde, interdum verò minùs affligunt. Vbi autem dies præterierint, quibus morbus decernit, si nihil deliquerit, dolor minùs detinet, eandem quàm priùs victus rationem instituere oportet: Nam si intempestiuè inebriatus fuerit, aut rebus venereis vsus fuerit, quidue aliud minimè commodum fecerit, confestim ei hepar durum euadit, intumescit, & ex dolore pulsat. At si qua in re festinarit, derepente hepar totumque corpus dolet. Huic cùm sic habuerit, primique dies præterierint, fomen-

tum admoueto, deinde scammonio, aliquantulum purgato, quòd si venter incensus fuerit, alui insusum quod probè ducat, ex ijsdem quæ prius exhibeto. Post alui infusum lacte asinino cocto suppurgato, eiusque hæminas octo melle affuso propinato. Lactis etiam caprini poculum quatuor hæminarum mensura aquæ mulsæ triente commixto mane exhibeto. Lactis quoque caprini cocti hæminas duas dato, aquæ mulsæ tertia parte ammixta aut solo mellle affuso. Lac etiam equinum eodem quò asininum modo exhibeto. Quod si hac curatione morbus cesserit, satis est, sin minus internam dextri brachij venam secato & sanguinem emittito. Si verò lacte asinino tibi purgandus non videatur, lactis bubuli crudi hæminas duas, tertia mellis parte ammixta singulis diebus ad decem dies exhibeto, deinde alijs duodecim diebus aquæ mulsæ sextante affuso, potui exhibeto. De cætero verò lac ipsum ad duas hæminas donec pinguior euadat, exhibendum. At si ne sic quidem sedetur, cùm hepar plurimùm intumuerit maximéque prominuerit, inurere oportet, per buxeos autem fusos oleo feruenti intinctos vstionem facito, eosque donec rectè habuerit, vstióque perfecta fuerit, admoueto; aut per fungos octo crustas inurito. Si enim vstio successerit sanum reddes, ac deinceps facilius deget. At si vstio minimè successerit, de cætero nisi per alia remedia conualescat, consumptus perit. Idest: Affectionum hepatis quarum descriptionem & curationem impræsentia-

rum suscipimus, alia est inflammationi superiùs scriptæ prope affinis, & quæ Ereſipelas vocari poteſt. Generatur autem non interceptis à crasso humore putâ ab atra bile venulis hepatis nutriculis, queis inflammatio fit, sed à copiosa bile, ex vniuerso corporis habitu, ventriculo venisque in illud confluente, maximè æstiuo tempore, & à nimio vini & carnium bubulatum esu. Æstas enim bilis est feracissima, vinum suo calore eam accersit, & caro bubula sua crassitie, qua ventriculum premit grauat, incendit. Color ægri in hoc affectu differt à colore qui in priore morbo ab inflammatione originem deducente conspicitur. Cum enim in illo sublividus sit, à tenui sanguine ob interceptas hepatis venulas in corpus irruente; in isto malicorij colorem refert, ob bilis corporis habitum non secus ac hepar inficientis copiam. Dolet hepar in vtraque affectione: in prima inflammationis comite, dolore qui ad iugulum, mammam, ob venarum interceptarum sympathyam lateralis instar protenditur; in hac, hepar solum modò dolet acutè, à bile diuulsis venis in illud sæuiente; excernitur autem sæpissime bilis per vomitum, & æger sese melius habere videtur; quòd si vomitione non excludatur, cum sanguine per corporis habitum disseminata, iterum parit, oculorum pallore & tandem flauedine conspicuum, pedibus præ naturalis facultatis languore intumescentibus. Affligunt hæc symptomata, interdum valde, interdum verò minùs, pro

ratione causæ ea producentis: desinunt autem, vbi morbus primarius diebus decretorijs fuerit iudicatus, maximè si æger in vitæ ratione nihil deliquerit; Attamen ob relictum in hepate fomitem si vino nimiùm indulgeat quod bilem procreat, rebus venereis queis corpus colliquescit, prauæ victus rationi, qua copia bilis in corpore secernitur, hac ad hepar accurrens, dolet, tumet, indurescit, & aliquando interceptis venulis inflammatione detinetur. Ignis enim qui ex arterijs iugi commercio in eas insilire consueuit, in hepar irruit, illud inflammat, in externis venularum obstructarum partibus congeritur in quibus præ *sui multitudine* non secus ac in arterijs *æstuosum quiddam pro-*
6. Epid. *ducit*. Cùm sic habuerit æger primis diebus elapsis fomenta bilem alterantia & emollientia hepati admoueto, tum scammonio bilem aliquantulùm purgato; quòd si præ affectus aut purgationis vehementia venter incensus fuerit, alui infuso eluatur, post alui infusum, æger lacte asinino cocto ad octo heminas cum melle suppurgetur, lactis caprini etiam cocti poculo ad heminas duas cum tertia parte mellis, aut aquæ mulsæ, lacte etiam equino: Quòd si hac curatione morbus cesserit, satis est, sin verò inflammatio fiat in hepate, sanguinis missione è vena basilica opitulandum. Quòd si dolor à bile, è corporis habitu ob igneum ardorem & venerem colliquescente in hepar decidua trahat originem, & curatio suppurgationi lactis asinini solius vsu factæ committenda

non videatur, lacti bubulo per longum tempus cum saccharo ad corporis impinguationem indulgendum. Hoc enim, deleta colliquatione, bilem, & à bile, dolorem auffert: At si tanta sit iecoris imbecillitas, vt locus qui in eo est, hanc non satis expurgare possit, è propria substantia & reliquis corporis partibus; *inustiones* iuxta illud instituendæ, vt fons bilis robur acquirat, eam vt par est, corpori distribuat, quod verò reliquum est *obseruato naturalis circuitus ordine* per aluum & vesicam deturbet. Quòd si per prædicta remedia non conualescat æger consumptus puerit. *Plato in Tymao.*

Eandem hepatis, *sese* (vt ait) *ad septum transuersum explicantis*, idest, septum transuersum, & ex eo caput in consensum trahentis inflammationem sub *primi crassi morbi* nomine describit, & *ne ex hac affectione sæpius recurrente æger consumptus pereat, lac & serum si anni tempestas ferat per dies quinque & quadraginta bibat* (ait) vt bilis quæ ex vniuerso incensi corporis habitu in hepar decidua inflammationem & dolorem est productura eo refrigerato & incrassato quiescat & in pituitam veluti transeat. *Lib. de inter affect.*

5. Quamuis vlcera diuturna ægros in febrem hecticam tabemque deducere soleant; ea tamen quæ fiunt in partibus infernis corporis vt renibus, vesica, vtero, coxendicibus, & cæteris, non tam facilè id præstant. Horum enim occasione calor ad partes infernas è superis innitatur & trahitur, cerebrum & partes superæ

omnis

exteræque refrigescunt, aut saltem non tanto calore incenduntur vt tabem, nisi longiore spatio temporis inuehant. Hincque ait Hipp. *interdum quoque in diuturnis morbis tabes non fiebant, velut in his qui renum doloribus conflictabantur, quin & quibusdam aliis idem contigit, in quorum numero ille extitit, ad quem me Cyniscus deduxit.* Attamen quia hæc vlcera cancrorum more nocent, seu à tumore in pus conuerso, seu à fluxione acri partes erodente, seu ab effuso *in ventres*, idest, in partium substantiam sanguine in pus mutato ducant originem, eadem ratione, curationem suscipere lactis vsu consueuerunt

6. Epid. 7. 14.

Renum vlcera eorumque curationem longo lactis vsu factam sic descripsit Hipp. *In tertio renum morbo, vrina bubularum carnium assatarum succo similis egreditur. Oritur autem morbus ex atra bile qua cum ad venulas qua ad renem feruntur confluxerit, cùmque consliterit, eas renemque exulcerat. Ex vlcere igitur tale quid cum vrina prodit. Dolores autem in lumbis vesica, interfœminero & in rene ipso pauco tempore detinent. Deinde dolor remittit, rursusque ex breui interuallo acutus inuadit, & in tenuem ventris partem nonnumquam incidit. Huic cùm ita habuerit, ventrem epithimo aut scammonia radice aliquantulum purgato, eadem quæ stranguria laboranti potui exhibeto, cùmque dolor desierit; tepefactoriis potissimùm loco dolenti admotis, copiosa calida lauato, pro sorbitione farinam coctam affuso melle sumat, reliquaque victus ratione quàm maximè aluum subducente vtatur,*

Lib de intern. affect.

vinum.

vinumque bibat album mundum melle permixtum, aut aliud album suauissimum probè dilutum. His mibus non deserit. Si anni tempestas ferat, serum & lac bibat, serum quidem ad purgationem; lactis autem potione vtatur quinque & quadraginta diebus si anni tempestas ferat; quæ cum feceris morbum meliore statu constitues, id est, Præter vlccra renum quæ ab acri humore in eorum substantiam deciduo, aut à sanguine è venulis effuso & in pus conuerso superiùs enarrata ducunt originem, aliud est, quod ab inflammatione in pus mutata generatur. Enascitur autem à crasso humore pituita & bile, ob crassitiem, atræ bilis naturam induentibus, qui quidem humores cùm in venulas substantiæ renum nutriculas decumbunt, eas intercipiunt, sistuntque ignem ex arterijs in prædictas venulas insilientem; hic renes incendit, dolorem infert, pituitam, & bilem cum sanguine in tuberculum diuulsis venulis trahit; tuberculum tandem in pus agitur & in vlcus degenerat, in quo vrina à prima fronte colorem refert succi è carnibus bubulis assatis expressi ob pus & sanguinem cum ea permixtum, lumbi affecto reni è directo respondentes dolorem contrahunt, cùm dolor in extremis percipiatur, cui ob loci viciniam & officij communionem, vesica, interfœmineum, & pubis regio longo vreteris tractu consentiunt, maximè si à prædicto pure & humoribus in eas partes è renum substantia deciduis proterantur. Remittit aliquando dolor, excreta vrina, & de nouo accumulata

rutius inuadit, & in pubem protenditur. Ægro ita se habente, venter epithimo aut scammonio leniter purgetur, remedia interna stranguriæ arcendę destinata in vsum adducas, fomentis tepidis loco dolenti sæpius admotis & semicupijs dolorem fuget, farinam coctam affuso melle pro detersione vlceris sumat, victus ratione aluum leniter subducente vtatur, vinum bibat album, molle mendæum permixtum melle aut aliud suauissimum probè aqua dilutum ne calefiat: At quamuis hic morbus difficilè curetur attamen *si anni tempus sinat*, idest, si calor non impediat æger serum & lac bibat; serum quidem vt suppurgetur, & humores acres & calidos qui vlcus refricare possent, è corpore detrahat; lac autem bubulum, in debita tempestate, per quadraginta quinque dies quo corpus refrigeretur, impinguetur, vlcus detergeatur; quòd si contigerit, morbum meliore statu constitues.

6. Fluxus humorum acrium è venis in vterum facti & graui vlcere corrodentes, lactis solius diuturniore vsu sanantur indeque ait Hipp. *Aliud fluxus: qualis ex offatis carnibus humor purgatur, & pudendum vlceratur, & quamcumque aliam partem corporis distillando attigerit; & rigor & febris acuta, crebra, magna, simulque horror corripit. Dolores autem in omnibus fluoribus similes. Hæc tota intumescit, & partibus vmbilico inferioribus & cruribus; coloque auriginosus euadit. Huiusmodi autem fluor ex eo contingit, cùm sanguis exturbatur aliquantulùm biliosus extiterit, neque*

2 de morb mulier.

purgatus fuerit. Cum sic habuerit, medicamentum bibendum exhibendum, si quidem valida fuerit ex veratro, si verò debilis fuerit, ex radice & elaterio, & postremò lac caprinum, aut medicamentum quod deorsum bilem & pituitam purget, exhibeto Vteros autem medicamento ex brassicæ succo colluito. Deinde medicamentū purgans potui exhibeto, vlceraque butyro, resina, mirrha, argenti flore linito mirthi autem & saluiæ ex aqua, decocto tepido perluatur. Cibis autem vtatur, neque salsis, neque acribus, vt ne mordax vrina reddatur, & marinis abstineat; carnibus bubulis, ouillis, porcinis, reliquis verò carnibus coctis vtatur. In cibo panē assumat & vinū adoratum vetus nigrū bibat, quibus factis si non conualescat, totā foueto, & postero die medicamentū purgans exhibeto, deinde ex intermissione, rursus deorsum purgans, & si quidē fluor perseueret, post medicamenta decoctū serū quotidie potui præbeto, sub vesperā verò sorbitionibus vtatur, vino verò dulci albo. Quòd si serū desit, lac asininū coctū diebus quatuor bibat, vesperi autem iisdem vtatur. Post hæc autem lac bubulū calidū per quadraginta dies bibat, & per diem (vt ita dicā) nihil edat. Id enim est optimū, cùm ab huiusmodi lacte purgetur, nutriatur, fluorque obtundatur. Vesperi in cœna auicularū carnem assā paucā sumat, & panis subcinericii parū: vinum verò nigrū vetus generosum insuper bibat, quoad lac biberit, si copiosa eam & acre aliquid commoueatur quòd si his factis concipiat, conualescit, idest. Præter fluxus humorum in vterum factos superiúsque descriptos, alius est qui generatur post effusum ingenti copia è ve-

nis vteri aut aliarum partium sanguinem. Ni enim bilis quę sanguine seu fœtu o destituta inualescere solet, remedijs debitis expurgetur, hæc furit & feruet in venis: hinc à prima fronte corpus sanguine vacuum aereque frigido plenum horret, riget, intumescit, tandemque à bile simul incensum febricitat, calet, flauoque colore deturpatur: humor biliosus tenui sanguinis permixtione à naturali colore deflectens in vteros ruit ad instar humoris qui è carnibus assatis elicitur, & quamcumque partem attingit, crebris vlceribus rodit. Cùm sic habuerit ægra, si valida sit, pharmacum bibat ex veratro: si debilis ex radice aut elaterio, vt humores in habitu corporis peccantes educat: tum lac caprinum quò reliquias suppurget, impressumque à medicamentis calorem extinguat, aut pharmacum hauriat, quod pituitam & bilem, idest, quod humorem pituitæ bilisque participem, aut vtriusque naturam referentem putâ salsum & acrem morbique causam subducat: vteri decocto brassicæ detergendi perluendique reliquiæ humorum in eos effluentium decocto vulnerario & hysterico, è mentha, hyperico..e, semine apij composito per vrinas exturbandę: quòd si pudendum vlcere corrodatur, colluatur butyro, pro sedatione doloris, factaque medicamento demum exhibito, purgatione, vlcera decocto mirthi & saluiæ lotæ, vnguento è resina, myrrha, flore argenti, butyro exceptis illinantur: Cibos fugiat ægra, salsos, acres, marinos, carnes bubulas, ouillas,

porcinas quæ vrinam multiplicant & acrimoniam conciliant; alijs carnibus præcipuè volucrum, *quæ cùm vesicam non habeant, vrinam non reddunt, neque saliuam, ac proinde multùm exsiccant*, vtatur; panem assumat, vinum vetus, sed nigrum, quod vlcera non ferit, & partes roborat; quòd si hisce remedijs sanitatem non assequatur, balneo lotam, postridie pharmaco sursum purgato, tum facta intermissione, infra: vt humores in vterum effluentes ex vtroque corporis habitu subducantur: & si hisce purgantibus affectio non cedat, decocto sero per quatuor dies exhibito suppurgetur: cibis vesperi indulgendo antea dictis: quòd si ne his etiam remedijs morbus in totum conquiescat, ad lactis bubuli vsum per quadraginta dies, tanquam ad sacram anchoram se recipiat ægra, & nihil præterquam vesperi paucillum edat: HOC enim remedium optimum est: (vt ait HIPP.) quia purgat humores acres. partes calidiores sicciorésque refrigerat, & humectat, impinguat, nutrit, ne eos denuo producant, vno verbo colliquationem huiusque causam prorsus auffert, ac proinde fluxum acrem obtundit & sanat. Vesperi autem quoto tempore vtetur lacte, cœnet carnem volucrum modicè assatam, panem bis coctum, vinumque nigrum vetusque super bibat, maximè si intra illius vsum multa prodeant acria ex vtero: apprimè enim roboratur & fluxus sistit, quòd si ægra, his factis prægnans euadat, sanitatem assequitur. Vegetiore enim facto calore natiuo humores

de vict. rat.

acres temperantur, & (vt tertio mense contingit) mulieres impinguantur, quod morbos colliquatione oriundos prorsus delet.

Eandem vlcerati vteri curationem repetit Hipp. in libro primo de morbis mulierum qui viderit poterit.

7. Morbi articulares podagra, chiragra & cæteri, quia recensentur inter morbos qui à colliquatione ducunt originem, lactis longiore vsu veluti miraculosè sanantur. De his sic effa-
97. præ tur Hipp. *At de his qui podagra tenentur ista nobis*
dict. 30. *ducenda videntur. Qui in senectute thophos aut callos in articulis induratos habent, aut laboriosè victum tolerant, cum aluo sicca, ii sanè omnes (vt sentio) humana arte sanari nequeunt. His certè succedentes intestinorum difficultates optimè medentur, quin & quæcumque colliquationes infernæ eos valdè iuuant. Iuuenis verò cui nedum circùm articulos calli indurauerunt, cuique victus ratio curæ est, ad laborem est impiger, aluumque habet vitæ instituto probè cedentem, is sanè prudentem medicum nactus, sanus euadet.* Ideſt si podagra laborantes senectam attingant, callos nodosque in articulis gerant, aluum plus æquo siccam habeant, aut laboriosè vitam tolerent, ideſt, aut vitam agant varijs ærumnis & morbis obnoxiam humana arte sanitatem consequi nequeunt: aliquando tamen veluti temerario ausu eos natura restituit, humorem in corpore colliquescentem & suo decubitu in articulos facto podagræ caussam in alia corporis loca reuellens, morbumque grauem morbo leuiore aufferens: Si ergo

natura prædictum humorem in ventrem & intestina reuellat, dissenteriam pariat, aut alium quemuis fluxum, quo prædicta materia subducatur, articulorum dolor sublata causa conquiescit. Iuuenum dispar est ratio. Si enim podagra nodosa non diuexentur, ad laborem impigri sint, aluum vt par est fluidam habeant, nec graues in vitæ ratione errores committant, hi, si prudentem medicum nanciscantur, sanitatem illius ope consequentur.

HOC textu constat arthritidem non solùm oriundam esse à colliquatione, cum hac in ventrem decidua subleuetur, sed arte medica curationem suscipere posse: Quæ autem signa habeat, quomodo colliquatio, & ex quo humore oriatur, dolorem inferat, & quibus remedijs eradicetur, docet textu sequenti: *Articularis morbus cum detinet, corporis articulos ignis & dolor inuadit. Prehendit etiam acutus, & ad alium atque alium etiam articulum vehementiores & leuiores dolores decumbunt. Huic qua parte dolor detinet, refrigerantia admouere confert, & quæ in ventre sunt per infusa & glandem subducere, & quidquid tibi profuturum videbitur, sorbendum & bibendum exhibere. Cum verò dolor adfuerit, medicamentū deorsum purgans propinato, & post hoc serum coctum & lac asininum potui exhibeto.* Lib. de affect. Hic morbus à bile & pituita, oritur, cum agitata ad articulos decubuerint. Et breuis quidem & acutus euadit, sed minimè lethalis, iunioribusque, magis quàm senioribus contingere solet. Pedum dolor, his omnibus qui circa

articulos contingunt, violentior quidem existit, & maximè diuturnus, quique ægerrimè soluitur estque hic quidem morbus sanguinis in venis à bile & à pituita corrupti, qui quò magis tenues venulas corporique plurimùm necessarias neruosque & ossa multa & crebra subierit, eò sanè stabilior morbus est, ægerrimè profligatur. Huic eadem quæ articulari morbo conferunt, & longus quidem hic morbus est & grauis, minimè tamen lethalis quod si in digitis dolor remaneat, venas in digito paulùm supra articuli nodum inurito; idest: Cum arthritis hominem prehendit, igne & dolore, sed dispari vehementia articulos inuadentibus internoscitur oriuntur autem ignis & dolor, potissimum interceptis ab humore morboso venulis articulorum nutriculis. Ignis enim qui ex arterijs in prædictas venulas iugi commercio insilire consueuerat, sistitur in neruosa articulorum substantia, eam acri dolore & calore ferit, vellicat, incendit, humores tandem, remisso tantisper sed non intermisso dolore in articulos intumescentes trahit. Curatur hæc affectio, varijs remedijs: primùm refrigerantibus iuxtà locum dolentem admotis, idest,
2 Aph. 25. vt ait, *frigida larga affusione, quæ dolores sine vlcere & podagricas conuulsiones*, idest, quę dolores citra venarum diuulsionem partiumque tumores, à mera earum conuulsione & interceptione enatos & podagricos *soluit*. Cum autem articulis incensis refrigerium conciliet, ignem per eos dispersum in venulas interceptas repellit,

lit; hic interceptionem tollit, humore que, vel in articulos calidiores intumescentesque remisso dolore trahit, vel in sanguinem cuius permixtione temperantur, intermisso prorsus dolore & stupentibus articulis retrahit repellitque: Secundùm venter suppositis glandibus aut iniectis clisteribus frequenter subducatur: Tertium: cœtera quæ arthritide laborantibus contulisse experientia docuit, in vsum adducantur. Inter ea autem primum locum tenet & ad miraculum prodest, lac asininum (aut bubulum) purgato prius deorsum debitis medicamentis corpore serique recentis ant leniter aciditatis metu decocti largiore vsu refrigerato & à tenui ichore suppurgato & libero potui exhibitum. Hoc enim extraneum calorem extingit, acres humores educit, colliquationem & siccitatem restituit, impinguat, ęgros deducit ad temperiem puerorum, *qui ante veneris vsum podagra non laborant*; quibusdam effœminato magis corpore veluti spadonum & eunenchorum naturam accersit, quam dum seruant, podagra non laborant; iuxta Hipp. textum: *Euneuchi podagra non laborant, nec calui fiunt*: *Mulier podagra non laborat nisi menstrua defecerint*, * vt *Polemarchi Et Namisia Gorgippi coniugibus* aduenit. *Singulis enim mensibus calidi purgationem habent* quæ causam omnem colliquationis è corpore detrahit. Oritur autem arthritis à bile & à pituita, ideſt, ab humore bilis & pituitæ naturam referente aut vtriusque participe secreto è sanguine *& propter*

6. aph. 30
6 aph. 28.
6 aph. 29.
6. Epid. 1. de vict. rat.

agitationem, ideſt, propter motionem à calore factam in articulos decumbente: breuis eſt morbus & acutus, ſed minimè lethalis, iunioribus ob calorem quàm ſenioribus magis familiaris: Inter illius ſpecies cæteris ſæuior & diuturnior eſt podagra, ob ſitum decliuem partium in ea laborantium. Oritur ab iiſdem cauſis, putà à pituita & à bile è ſanguine colliqueſcente ſecretis, ideſt, ab humore pituitæ biliſque naturam referente, qui ſi in venulas pedum hæreditario aut aſcititio iure vt decliui ſitu debilium nutriculas irrumpat, ijs interceptis, ſiſtit ignem (vt dictum) ex arterijs in venas inſilientem, eóque magis cum prædictæ venulæ teneriores ſint; hic neruoſas propagines ferit, incendit, tandemque humores vi caloris in articulos intumeſcentes trahit: diuturnior eſt autem affectio cæteris, ægriùſque ob ſitum partium, remediorum vſu profligatur. Grauis interea morbus, ſed minimè lethalis, vt pote cum cæterorum arthriticorum inſtar, in extremo corporis ambitu non ſolùm fiat, ſed ab internis ſedibus humorem colliquatum reuellat.

Lib. de affect. Eandem articularis morbi naturam & curationem habet in eodem libro, his verbis: *In coxendicum morbo, dolor coxæ connexionem inuadit, & extremas nates, & protuberantem in ſumma femoris parte carnem quæ γλόυτος dicitur. Huic confert, cum dolor detinet, balneis calidis & fomentis emollire ad quamcumque cruris partem dolor forte decubuerit, aluumque ſubducere, cùmque dolor leuatus fuerit, medicamentum infra purgans ex-*

bibere, & post hæc lac asininum coctum potare. Ad dolorem autem danda quæ scripta sũt in medicamentorum tractatione. Oritur hic morbus vbi bilis & pituita ad venam sanguine manantem decubuerit, aut ex alio morbo aut aliàs cum quidquid est sanguinis à pituita & bile coactum malè affectum fuerit. Istud enim toto crure per venam sanguine manantem vagatur, & vbicumque constiterit, ibi etiam dolor maximè manifestus & molestus contingit, non tamen lethalis. Quod si in vno loco aliquo firmiter constiterit, dolor, neque medicamẽtis expellatur, quocumque loco dolor forte extiterit, eum lino crudo inurito.

Ideſt, Iſchiadicus dolor extremas nates & coxæ connexionem inuadens & aliquando per totum crus decerrans, hiſce remedijs curari ſolet. Sæuiente dolore, pars fomentis calidis, emollientibus balneiſque lenienda, venter enematis ſubducendus; cum autem dolor leuatus fuerit, medicamentum infra purgans exhibendum, quo fluxionis reliquiæ è corpore detrahantur, deinde lac aſininum coctum, quo extraneus corporis calor extinguatur, humorum colliquatio ceſſet, & morbus omnino curetur. Oritur autem cum bilis & pituita, aut potiùs humor ſua tenuitate & acredine vtriuſque naturam referens è venis maioribus aut alijs partibus corporis vt è cerebro in venas coxendicum nutriculas decubuerit, eaſque intercipiendo, ſanguinem coegerit. Irrumpit enim ignis ex arterijs in coxendicum ſubſtantiam quam acri dolore & calore ferit, tandemque humores in eam trahit. Affectio moleſta non tamen

lethalis, quæ si in vno loco fortiter constiterit, neque medicamentis facilè depellatur, loco per linum crudum inusto sanari solet.

Similem coxarij morbi curationem lactis longo vsu factam repetit HIPP. in descriptione & curatione morbi ischiadici quem affert sub
Lib de in- nomine *magni morbi venarum cauarum. Ni enim*
ter affect. (ait) *hic morbus soluatur purgantibus* ibidem descriptis, *vbi lacte craßiorem reddideris ægrum, variis inustionibus ad scapulas coxendicis acetabulum inferiores nates, medium genu, femur & malleolum factis curandum esse effatur.*

His duo patent: primò, pro curatione arthritidis, lactis vsum non modò vtilissimum, sed imprimis necessarium esse, vt ægri diuturniore temporis spatio sese illi committant. Cum enim ad puerorum, fœminarum aut spadonum temperiem ac veluti naturam transferendi sint, hæc vel cum ingenti vitæ discrimine, maximè cum *imbecilles cibi vitam herum*
6. Epid. *præstent*, vel diuturnioris temporis annorum
6. 20. scilicet intetstitio in locis & tempestatibus frigidis comparatur. Quod si ob vsum lactis arthritide liberi pristinam temperiem & robur acquirant, recurrit sæpissimè dolor, recurrente colliquatione, non secus ac mulieribus aduenit si menstrua defecerint; aliquando tamen in totum curatur.

Quod autem arthritide laborantes, lacti debeant indulgere per longum temporis spatium & per totam diem, si à tanto morbo liberari velint; docuit Hipp. in curatione *alterius Typhos*

putà rheumatismi in qua sic effatur; *lac autem & serum semper bibant*; vt totius textus in quo prædicti morbi natura continetur, sedulâ discussione vlteriùs innotescet: *Alius Typhos*: *Hic quidem ob hanc causam gignitur, cum bilis putrefacta cum sanguine per venas & articulos permixta fuerit, sanguisque coierit, in articulis verò præcipuè consistit, quandoque etiam in totū corpus decūbit, doloresque acutos exhibet. Plerique enim ex huiusmodi morbo claudi euadunt, vbi bilis in articulis retenta, in tofum obduruerit, dolor verò intermittens, per tres & quatuor dies inuadit. Hunc ita habentem ad hunc modū curato. Dolore in corpore obtinente, tepefactoria ex oleo illito parare & admouere oportet. Vbi autem remiserit veratrū exhibeto, fotu prius vniuerso corpori adhibito. Postero autem die serum lactis caprini decoctum ad duos congios potui exhibeto, ad alterum congium melle affuso, ad alterum verò sale iniecto, deinde vicissim alternatis poculis totum ebibat, sub vesperū verò post purgationē lenticulæ acetabulū sorbeat, & betarum pinguiū acetabulū polenta aspersa bibat. Pulli gallinacei carnem, vel colūbæ, vel turturis, vel ouiculæ, vel suis pinguis edat. Veratrum autem sexto quoque die exhibeto, & sicubi in articulis tumor exoritur, nec discedat, admota cucurbitula sanguinem detrahito, conpunctis per acum triangularem genibus in quibus tumor extiterit, nullo tamen alio articulo conpuncto. Intermediis autem diebus cibum sumat, panem quidem maximè assatū, mazā autem quàm maximè melle & oleo subactam. Pro obsonio autem quàm maximè assa habeat, volucrā*

Lib de inter affect.

verò carnes insulsas. Sin minùs etiã cũ iure coctas, absque caseo tamen, sesamo & sale. At piscibus vtatur maximè carnosis, assis tamen ad eundem modũ quò carnes coctis, origano conspersis & oleo subunctis. Vinum si conferat, albũ bibat, quod si non conferat, nigrũ & obãbulationibus de die, post cœnã & mane se exerceat, serum autem & lac cum tempus ferat, semper bibat. Quod si tibi visum fuerit, etiã asininũ lac decoctũ exhibeto. Et si sanus euaserit à frigore & ab astu sibi caueat, neque cibis admodũ repleatur. Periculum enim est, ne morbus reuertatur. Sic igitur curatus hic morbus sex mensibus sanatur, tot enim mensium interuallis lethalis sit necne, iudicatur. Qui etiam si confestim curetur, molestus est, & plerosque ad mortem vsque comitatur. Ideſt, Affectionem ſub nomine typhos hîc enumerandarum alia eſt quam rectè quis rheumatiſmum indigitauerit. Generatur autem cum pituita præ tenuitate & calore bilis veluti naturam adepta & è ſanguine ſecreta in venas articulorum nutriculas ex iiſque in articulos decubuerit, Hac enim venulas obſidente & intercipiente ſanguis in iis coit, ignem ex arterijs in prædictas venulas iugi commercio inſilientem ſiſtit; hic articulorum ſubſtantiam acri dolore ferit inceditque; attrahitur tandem è venulis interceptione liberis in articulos intumeſcentes acer humor, & ſi fluxio in extremas vniuerſi corporis venulas è maioribus aut è cerebro fiat in prædictum corporis habitum in quo rheumatiſmum vniuerſalem parit, dolorem maximè acutum partibus ſentientibus

ingenerat: Permulti ab humore in articulis in tofum obdurescente claudi fiunt, & crebris doloribus per tres aut quatuor dies incidentibus tandemque intermittentibus agitantur. Hunc ita habentem sequentibus remediis curato. Si dolor corpora excruciet, tepefactoria & anodyna ex oleis illitis comparata in vsum reuocentur, queis venulæ partesque corporis laxiores factæ humori atri iter faciliùs præbeant, ne hic in arctiore loco detentus magis magisque sæuiat. Vbi dolor remiserit veratrum ad purgationem humoris præscribatur, postero die ad suppurgationem serum lactis caprini decoctum ad duos congios, alterum cum melle, alterum cum sale, sub vesperum post purgationem lenticulę & betarum pinguiū acetabulum aspersa polenta bibat, edat carnem pulli gallinacei, columbæ, turturis, ouiculæ aut suis pinguis. Reiteretur purgatio ex veratro, sexta quaque die, & si tumor exoriatur in genubus, his post admotam cucurbitulam acu triangulari compunctis sanguinem detrahito. Intermedijs à remediorum vsu diebus pane vtatur maximè assato, quo superflua humiditas exsiccetur; maza oleo & melle subacta; pro obsonio assas insulsasque carnes volucrum in vsum adducat. Hæc enim potenter siccant; Aliquando tamen cum iure coctas, ne corpora nimium incalescant; absque caseo qui pituitam maximè fouet; sesamo, quod multùm impinguat; sale, quod pituitæ fluxiones mouet. Piscibus vtatur carnosis assis origano conf-

persis oleoque subunctis. Vinum si morbi natura ferat, album bibat, quo humor morbi causa per vrinas euacuetur, si non conferat, nigrum: quod humores restringit: obambulationibus de die post cœnam & mane se exerceat, queis superfluos corporis humores per insensibilem transpirationem educat: *serum autem & lac semper bibat cum tempus feret*: lac quidem hyeme vere & autumno, serum æstate, & cæteris temporibus ad suppurgationem & refrigerium: crudum autem aut coctum, pro ratione naturæ ægri: qui, si contingat sanitatem consequi, caueat à frigore & ab æstu: maximè corpore repleto cibis existente: Vt enim ciborum copia, humores multiplicat, frigus validum exprimit, æstus latè fundit & morbum creat. Periculum autem est, ne facilè reuertatur: sanatur prædictis remedijs per sex menses exhibitis: hoc enim temporis interuallo lethalis sit necne, iudicatur: molestus per se etiamsi confestim curetur, & vt plurimùm crebris paroxismis ad mortem vsque perseuerans.

Indulgeant ergo arthritide laborantes, si à tanto malo liberari velint, lactis vsui per annorum curriculum, donec calidam & colliquantem naturæ suæ temperiem prorsus veluti superent: quo obtento, mollibus cibis & potibus vtantur, decocto carnis vitulinæ non obesę
6 epid 6.9 & pinguis, *cum biliosum à pingui fiat*, sed macilentæ, semicupijs & cæteris ad hæcticæ febris curationem superius ad Hipp. mentem allatis.

Quod

Quod si quispiam quærat remedia, quæ Hipp. pro curatione arthritidis, vltra supra scripta & venarum vstiones, in vsum reuocanda esse docet: *lumborum & coxendicum dolores ex laboribus obortos, aqua marina calida, & aceto perfundere oportet* (ait) *vel intincta spongia fouere, lanis verò succidis deligare, & pellibus agninis:* & rectè quidem: vt enim ait, *acetum cuti & articulis ad motum eandem habet cum aqua marina facultatem, potentiorem tamen perfusionem & fotum obtinet.* Præterea (inquit) *in podagricis doloribus tumores nitro leniter trito aqua subacto velut cataplasmate obducito, tribus diebus ne lauato, cum verò laueris, rursus nitro crudo rubro non pauco melle trito eo velut semper vtendum. Igne ambusta,* idest, partes inflammatas, *illine portulaca cum farina massa subacta & lactuca rubra ad draginam vnam.* Si ergo quis propter loci distantiam, aut tempestatis frigiditatem, maris aquas in vsum adducere non possit, remedijs supra scriptis vtatur. Maris autem vsum probauit Hipp. experientia, in *Onisantidis* historia, in qua sic effatur: *Onisantidi per æstatem humeri dolor ex abscessu detento corpus & humerum quàm diutissimè mari madefacere contulit, simul per tres dies vinum album aquosum in mari decumbentem bibere, in eoque meiere.*

5. Epid.

In otis ad 1. lib. de morb.

5. Epid.

Secundò patet ex supra scriptis, quam grauiter allucinentur ij qui lactis vsum arthritide laborantibus salutarem esse promulgant, ex eo quod temperat hepar, à quo postea, cum generetur sanguis laudabilis & ichore arthritidis

causa destitutus, prædicta affectio cessare consueuit, hacque ratione hydropicis præscribendum esse volunt. Qua de re vt meam mentem aperiam; crediderim quidem hepar vt cæteras partes nimiùm exsiccatas & incalescentes lactis vsu ad debitam temperiem deduci; attamen maiori cum premeditatione in illius quàm in cæterarum partium morbis vtendum est. Cùm
4 de morb enim *bilis locus in iecore sit* vt dictum; vix fieri potest, quin si id prauam temperiem contrahat, non inficiatur à bile, quæ lactis vsum prohibere videtur, maximè in hydrope, in quo hepar atomâ veluti laborans aquarum aut flatuum multitudine vlteriùs refrigescit; hinc venulæ illius obstruuntur, potissimùm à bile, è qua, cùm non satis expurgetur, colore natiuo putâ sanguineo deperdito, flauum induit, corporis dissectione post mortem facta conspicuum, & prætereа exsiccatur; cùm autem *locus nutritiuus* vt ait Arist. idest, venter, ob hepatis frigiditatem in similem temperiem adducatur, lac facile acessit in ventriculo, & in tenue ichor, aut flatus, anasarcæ, ascitis, aut tympanitis, materiam conuertitur.

Attamen quia in hydrope ascite & tympanite partes superæ corporis maximè extenuantur, & sæpius hi affectus ab humore intra cerebri sinus colliquescente & in ventrem per posterio-
1. Epid. res carnes sensim deciduo, dissenteriæ instar
2. 35. trahunt originem; eductis medicamentorum
Lib de lac ope flatibus, aut humoribus in ventre stagnan-
in hom. tibus, inustoque (vt ait Hipp.) superiori cor-

poris parti vt ceruici cauterio, quod calorem ab inferis partibus ad ſuperas alliciens cerebrum debita temperie ita perfundat, vt ſuperfluos humores obſeruato circuitus eorum ordine per aluum & veſicam expurget; lactis vſus corpori reſtituendo, arcendæ ſiccitati & colliquationi partium ſuperiorum, & interno hepatis bile liberi augendo calori non inutiliter præſcribetur.

8. Quòd diſſenteria vera vt plurimum ducat originem à colliquatione corporis aut eam accerſat, facile eſt concludere ex textu Prorheticorum ſuperiùs allato pro artrhitide. Cùm enim eadem ſit arthritidis & diſſenteriç cauſa, non mirum eſt, *ſi ſuccedentes inteſtinorum difficultates optimè medeantur, quin & quæcumque alia colliquationes infernæ arthriticos valde iuuent*, reuulſione cauſæ morbificæ ex articulis ad inteſtina qua ſæpius colica fit, hacque ratione, *qui articulari morbo detentus inteſtini dolore dextra parte vexabatur, leuiùs habebat, vbi vero hic curatus fuit, magis dolebat.* Cùm ergo arthritis lactis aſinini & bubuli vſu curationem ſuſcipiat vt dictum, diſſenteria eodem remedio curatiotionem ſuſcipere debet. Si ergo affectio hæc, repetito purgante, è tamarindis, cortice mirobolanorum, rhabarbaro, Syrupo de floribus perſicorum ſale prunellæ, ſero lactis & cęteris deſumpto, venç ſectione brachiorum, crebris enematis detergentibus, refrigerantibus, nutrientibus, incraſſantibus, aſtringentibus non ceſſet, libero à prauis humoribus dicto-

Prorſ. 97. 30.

6 Epid 4 3

rum remediorum vſu vt par eſt corpore, lac vſtulatum cum ſaccharo per longum tempus præſcribatur. Hoc enim, ægro per totam diem nihil edente præterquam veſperi vt in arthriticis conceſſum, non modò ſi quid colliquationis in venis & ventre fuerit, per aluum & veſicam ſenſim educet, ſed refrigerando, nutriendo, incraſſando, impinguendo, colliquationis cauſam aufferet & morbum omnino curabit. Cauendum tamen ne humor diſſenteriæ cauſa, nimiùm ſit particeps bilis, quæ, febre valida, deiectione flaua, ſiti, facilè internoſcitur. In hoc enim caſu proſpiciendum priùs eſt corpori per remedia ſupra ſcripta, quàm lac
5. aph. 65 exhibeatur. *Lac enim præbere febricitantibus ſuiculoſis, & quibus biliosa ſunt deiectiones malum.*

Hanc diſſenteriæ medendi artem docuit Hipp. multis in locis. Primùm, his verbis,
2. Epid. *Fluxum, medicamentum illitum ſiſtit. Fluxus enim ab inſigni & magna vena impetum habet, quòd ſi ex ſe multus profluat ieiunium confert, aut lac, dum duabus partibus aquæ, lactis quatuor temperata propinetur.* Ideſt, ſanguinem è venis per aluum effluentem in diſſenteria, aut per alia corporis loca ſiſtunt, primò, remedia externa aſtringentia partibus ſanguinem emittentibus & in diſſenteria ventri appoſita; hæc enim venas è quibus tales ſanguinis fluxus vt plurimùm ducunt originem, aſtringunt, intercipiunt, quòd ſi remediorum externorum ope fluxus ſanguinis cohiberi non poſſit, ſed multus profluat, ieiunium confert. Hoc enim ventrem exhau-

riendo refrigerat, iuxta effatum Hipp. *Venter refrigescit, dum vacuatur*; aluus proinde siccatur; quia *refrigeratio ventrem indurat*: Adde quòd quemadmodum *eorum quæ bibuntur & eduntur, alia aliorum sunt medicamenta, & cùm elleborum ducere vis, cibum sumere oportet*: Cùm sistere desideras, à cibo est abstinendum: quòd si fluxus ieiunio sisti non possit, quia à colliquatione humorum & partium originem ducit, vt colliquatio deleatur, fluxusque sistatur, lac duabus aquæ partibus temperatum multa dosi vt mox dicetur exhibendum est: hic enim potus, aqua corporis ardorem temperat, & lacte, colliquationem auffert: ac proinde fluxum sanguinis in totum sistit.

Lib. de humor.
5. Epid. 5. 26.
4 de morb
6. Apid. 5. 27.

PVER ERATOLAI.

Ad æquinoctium autumnale Eratolai puer intestinorum difficultate cum febre correptus est. Alui recrementa biliosa erant, tenuia, multa, & aliquantulùm ac modice cruenta, ventris verò dolor vehemens, epoto autem sero & lacte candentibus calculis immissis incenso, dolores mitiores euadebant & deiectiones subcruentæ verùm biliosa comitabantur, crebræ erant, ad desidendum exsurrectiones, minore tamen cura do-

7. Epid.

lo e. Post primos autem sex dies febricula neque ægroto, neque multis, toto morbi tempore prorsus adesse videbatur, adeo obscura erat. In temporibus tamen pulsatio aderat, & lingua præ siccitate aliquantulum balbutiebat, sitisque moderata erat & insomnia. Sorbitiones verò iam sumebat, & vinum. Cùm iam ferè decimum quartum diem attigisset, tumores ad aurem vtramque sigillatim oborti, duri & crudi omnes, sensim euanuerunt, moderatos verò dolores afferebant. Non desinentibus autem deiectionibus, sed biliosis vsque perseuerantibus herbam pollinis in modum sorbenti mitiores ad aliquod tempus biliosæ deiectiones & dolores euaserunt, sed liquida multa crebrò demittebat, cibos admodum auersabatur, neque nisi modis omnibus coactus assumebat, quòd ad calorem linguam & sitim attinet, qualia dicta sunt, perseuerabant, neque sudores vlli apparebant. Ea autem erat obliuio, vt vbi de eo quod paulo antè intellexisset, interrogasset, aliquo post interuallo iterum interrogaret, ac veluti non priùs dictum repete-

ret, neque si desideret, recordaretur, nisi à quopiam admonitus, eiusque affectionis sibi ipse conscius erat, neque ignorabat. Spiratio qualis per sanitatem. Supra trigesimum verò ad quadragesimum diem vsque & ventris dolor multùm increscebat, supinus decumbebat, neque se tantillum conuertere poterat. Quòd autem dolor grauis esset, alijs qui cibum in os inderent egebat. Alui recrementum multum erat, disparatum & tenue, coloris vinosi erant quæcumque assumebat, interdumque aliquantulum cruenta, corporis vigor ad extremam colliquationem & imbecillitatem conuersus est, neque alio subleuante surgere amplius poterat. Quòd si quis medium vmbilicum attigisset, & manum ad cartilaginem illam in pectoris cauo sub qua os ventriculi delitescit, deduxisset. tanta illic palpitatio inerat, quanta neque ex cursu, neque ex timore circa cor suscitari queat; Epoto per duos dies lacte asinino cocto ad nouem heminas Atticas biliosa purgatio vehemens extitit, doloresque cessarunt & ciborum appetentia aborta est. Postea

autem lactis bubuli quatuor circiter heminas Atticas simul ebibit, in dies singulos duos Cyathos, primùm aquæ sextam partem vinique nigri & austeri modicum, immiscens vero cibum sumebat, sub vesperam panis subcineritij choenicis dimidium & pisciculum saxatilem tenuem & caprinæ carnis & ouillæ frustulum. Lactis potus erat ad quadraginta dies, post primos decem dies absque aqua, ex vini nigri modica portione. Post septuagesimum iam à primo diem, à balneo sub noctem sudor paruus obortus est. Modico potu vtebatur, eoque post cibum austeriore.

Hic puer colliquato vt plerumque solet contingere inter æstiuæ tempestatis ardores cerebro in dissenteriam maximè periculosam incidit, & simul tumores ad vtramque aurem habuit. Cùm enim cerebrum à calore fusum humoris copiam in partes inferas emisisset, glandulis sub vtraque aure sitis, humoris prædicti crudiorem partem lucrifacientibus tumores apparuerunt, tenuiore & acriore parte bilisque magis particeps in aluum decidua, diuulsis venulis & intestinis corrosis dissenteria originem duxit, in qua alui recrementa, biliosa, tenuia multa & aliquantulum cruenta deiecit, cum ventris dolore vehementi & febre à putridis flauæ bilis

venis & ventre incalescentis & intestina rodeutis effluuijs in cor elatis oriunda. Ad huius affectus curationem purgatio à prima fronte instituta fuit sero lactis & lacte candentibus calculis in illud immissis vstulato, queis educta acriore portione humoris intestina abradentis, dolor moderatior euasit, vnà cum deiectione cruenta illius sequaci; biliosæ tamen deiectiones continuarunt, & crebræ erant ad desidendum exsurrectiones, sed minore cum dolore vt dictum; febris sexto die ita remisit, vt vix pulsu in temporibus validiore dignosceretur; lingua tamen cæco humoris in ventre putrescentis incendio sicca, balbutiebat; sitis moderata erat non secus ac insomnia, æger sorbitiones & vinum sumebat. Cùm autem fere ad decimum quartum, reuulso è glandulis aurium intumescentibus, partim ad cerebrum, partim ad intestina humore, aurium tumores prope euanuissent, leuemque dolorem inferrent, deiectiones biliosæ perseuerarunt, quæ sumpto iusculo ex farina & succis refrigerantibus & astringentibus composito, mitiores euaseruut, dolor similiter leuior fuit, aluo, liquida, tenuia, multaque sæpius demittente, Hinc stomachus ita languit incaluitque, vt æger cibos admodum aduersaretur, lingua, siti, calore, in eodem statu, ac in morbi exordio permanentibus, nulloque sudore apparente, quo causam eorum symptomatum natura foras educeret. Interea præ humore è tumoribus crudis omnino euanescentibus in cereb i sub-

ltantiam effuso in tantam obliuionem incidit æger, vt nullius fere rei, nec desidendi etiam recordaretur, *spiratione* (subdit Hipp.) *qualis est per sanitatem existente*: quia hæc lethargus oriebatur ab affectione cerebri non autem pulmonis, quam Hipp. *peripneumoniam humidam* vocat dolor ventris ab humore sensim è cerebri substantia in eum deciduo, à trigesimo quinto ad quadragesimum diem ita increuit, vt æger, fractis præ illius vehementia corporis diuturna fluxione colliquescentis viribus supinus decumberet, se tantillum conuertere non posset, cibumque in os immittentibus egeret, intestinis excrementa, tenuia, multa, & præ valida irritatione non secus ac in lienteria ingestorum colorem penitus referentia, & non secus ac in hepatitide, aliquando cruenta, corpore ad extremam fere colliquationem & virium imbecillitatem ducto, deorsum subducentibus: Attamen ex portione quadam eaque calidiore huiusce humoris qui è cerebro per aluum demittebatur in venis intestinorum & ventris iuxta vmbilicum coaceruata, palpitatio in pectoris cauo & sub ore ventriculi percipiebatur, qualis nec ex timore, nec ex cursu concitaretur. Huic morbo extremam ægro maciem inferenti duo lactis genera in vsum adducta profuere: primum: purgans & roborans putâ asininum sed vitulatum ad octoginta duas vncias in duobus diebus exhibitum, quo ingentem bilis & cæterorum humorum colliquescentium & putridorum colluuiem excreuit æger, dolores cef-

2 de morb

sarunt & ciborum appetentia oborta est, alterum nutriens putâ bubulum crudum ad quadraginta dies omnibus cibis præterquam vesperi interdictis exhibitum ad duos Cyathos, additis primùm ad decem dies, aquæ sexta parte ad mentem *Pythoclis* & vini nigri austeri modico: à decimo die ad quadragesimum solo vino nigro austeriote: vt aquæ permixtione, bili superfluæ & ardori: lactis colliquationi: vini verò nigri austerique, intestinorum debilitati consuleretur. Cibi autem qui vesperi ab ægro ingerebantur, fuere panis bis coctus, pisces saxatiles, tenuiores, carnes caprillæ & ouillæ iuniores, quæ refrigerant, & colliquationi medentur. His ergo & balneo post septuagesimum morbi diem, attracto è superis partibus ad infernas calore colliquationis authore, temperato cerebro, intestinis robur adeptis, paruus exortus est sudor, qui morbi reliquias in totum expulit. Ne tamen æger in prædictam affectionem incideret, potu vtebatur post cibum, ne potus ventrem dilueret: aut si ante cibum vteretur, is erat austerus & astringens, ne alui fluxum denuo prouocaret. 5. Epid.

CTESICRATES, ADRIANVS CENEÆ FILIVS.

Ctesicrati dolore cum laboribus totum ventrem occupanti, crebraque exsurrectione & dejectione aliquantulũ cruenta 7. Epid.

cum pedum tumore; farina lacte subacta magis quàm serum caprinum contulit. Eadem quoquē Adriano fere iam per viginti quinque dies contulerunt. At Ceneæ filio, lac asininum coctum,

Reitrat Hipp. in hoc textu, historias aliorum qui lactis vsu dissenteria curati fuerunt: quorum primus *Ctesicrates* cùm summo totius ventris dolore conflictaretur, ab acri sero è venis & vniuerso corporis habitu in intestina deciduo crebra exsurrectione & eiectione cruenta, pedibus prę naturalium partium langore intumescentibus: suppurgato lactis caprilli vsu humoribus acribus vt par est corpore, à dissenteria omnino sanatus fuit lacte cum farina subacto in formam pulmenti spatio viginti quinque dierum exhibito. Alter fuit *Adrianus* qui eodem remedio sanitatem est assecutus. Tertius fuit *Ceneæ filius* qui lacte asinino solo, sed cocto & sine farina, cæteris siue dubio præmissis exhibito, restitutus fuit.

MNESIANACTES.

7. Epid. *Mnesianacti quoque etiam contigit alui deiectio ante febrem, posteaque multo tempore comitabatur, multis alijs mucosis, albis prodeuntibus. Quandoque etiam paucum sanguinem citra laborem & dolorem demittebat, ventris au-*

tem ſtrepitus aderant. Poſt febrem tuberculum durum ad ſedem abceſſum fecit, diu ~~noctuque~~ perſeuerauit, ad inteſtinum ruptum eſt, & foris fiſtuloſum euadebat. Cùm autem in foro deambularet, ei ante oculos ~~in~~ fulgores obuerſabantur, neque planè ſolem poterat intueri. Vbi verò paulùm ſeceſſiſſet, extra ſe fuit, & ceruicis conuulſione tentatus eſt. Poſtquam autem domum relatus eſt, ægrè viſum recepit, vixque ad ſe rediјt. Primùm verò circunſtantes oculis colluſtrabat, corpus adeo perfrixit, vt vix vtriculis & nouis ſubinde adhibitis fomentis recaleſceret. Poſt quàm autem ſui compos fuit & ſurrexit prodire noluit, ſed timere dicebat. Quòd ſi quis de grauibus morbis verba faceret, præ timore ſe ſubducebat. Interdum ſibi ad præcordia calorem occurrere dicebat, & oculis obuerſantes fulgores comitari, alui deiectio multa fuit, & ſæpe ſimilis hyeme contigit. Venæ ſectio facta eſt, veratrum exhibitum, lactis vaccini potione vſus eſt, ac primùm aſinini, quod contulit, & alui egeſtiones ſedauit. Aquæ potio ab initio fuit, deambula-

tioneſque & capitis purgationes.

Mneſianactes *Polichari & Oneſianactis* ſuperiùs deſcriptorum inſtar febre quartana laborauit ad autumnum, qua tempeſtate humor melancholicus vna ex cauſis illius incaleſcere ſolet. In huius autem febris exordijs alieno cæterorum ægrorum inſtar à cibis erat animo: Quia ante febrem alui fluxu mucoſa multa, & pituitoſa, aliquando pauco ſanguine cruenta citra dolorem & laborem cum ſolo ventris præ flatibus obmurmurantis ſtrepitu eiecerat, queis languente naturalium partium vi appetentia debilis erat: ceſſauit febris quartana, quæ cum pituitoſi & mucoſi humoris colluuiem non ſatis expurgaſſet; hæc, facto in aluum inferiorem iuxtaque ſedem decubitu, tuberculum procreauit idque durum, diu incoctum; ideſt, quod cùm diu citra ſuppurationem perſeueraſſet, tandem diſruptum fuit, & veluti fiſtulorum euaſit. Interea portione quadam tenuiore humoris, aut potiùs craſſo flatu è prædicto humore in venulas principij neruorum nutriculas & cerebri ſubſtantiam expirato, cùm in foro deambularet, agitato ob prædictum flatum iuxta oculos & in cerebri ſubſtantiam igne, ei *phaniis* inſtar fulgores ante oculos obuerſabantur, neque ſolem planè poterat intueri; cùm autem receſſiſſet, craſſo flatu in dictas partes ſeſe inſinuante, interceptis venulis principij neruorũ nutriculis tetano correptus fuit. Relatus eſt in domum, in qua diſſipatis maiori ex parte flatibus viſum recepit, vixque ad ſe

7. *Epid.*

se redijt, cerebro adhuc refrigerato existente, cum tanta corporis perfrictione ob sanguinem à flatibus frigidis venas permeantibus veluti coeuntem, vt fomentis calidis vt vtriculis vix incaluerit; incaluit autem, suique non tamen in totum compos surrexit; Infecto enim à prædictis flatibus crassis in atrum humorem concrescentibus cerebro melancholicus euasit: vnde, prodire nolebat, & timere dicebat, maximè si de graui morbo verba facientem audiret Interea alui fluxus de nouo ægrum inuasit per hyemen; cum calore præcordiorum, tum quia hac tempestate calidiora sunt, tum potissimum ob humores in ijs residuos calorem concipientes. Huic morbo eradicando venæ sectio fuit instituta, vt calori & copiæ sanguinis qua melancholici abundant, consuleretur: purgatio similiter ex veratro, qua humores putridi & praui subducti sunt, suppurgatio ex lacte asinino; quod multa residui humoris praui eductione & corporis temperatione contulit, & alui fluxum imminuit: tum lac bubulum per plures dies intra hyemem propinatum est, quod alui egestiones omnino sedauit. His ce remedijs non defuere capitis purgationes debitis medicamentis, apophlegmatismis & cæteris factæ deambulationes, nec aquæ potio à morbi exordijs dum febris inualescebat.

Clonicus.

Adera Clonicus, cum renum quidem 7. Epid.

doloribus vexaretur, sanguinem paulatim meiebat, plerumque cum molestia, & aluus intestinorum difficultate laborabat. Huic mane quidem lac caprillum cum quinta parte aquæ est exhibitum, ita, vt tota mixtura hæminarum trium esset. Ad vesperam autem cum pane quidem exassato, pro obsonio beta aut cucumis, vinum nigrum tenue. Exhibebatur etiam cucumeralis pepo. Hac autem victus ratione, & aluus substitit & vrinæ puræ prodibant.

Hic æger vlcere renum & intestinorum simul detinebatur, ab humore acri in eas partes deciduo, queis dum aluus cum ingenti dolore partem illius per secessum effunderet, vesica, aliam cum sanguine & insigni mordacitatis sensu stranguriosè deijciebat. Hisce morbis eradicandis visum fuit præmissis sine dubio remedijs necessarijs lac caprillum crudum ad tres hæminas his computata quinta aquæ parte, ceteris cibis præterquam vesperi interdictis, singulis diebus ad longum tempus præscribere; quo alui & vrinæ acrior fluxus in totum est restitutus. Sub vesperum æger pane vtebatur exassato, idest, biscocto, quòd aluum & vesicam potenter siccat; cum vino nigro & tenui; quod dum tenuitate intestina renesque facilè peruadit nigredine robur addit, detergendis vlceribus maximè renum præter panem bis

coctum

coctum, concessi fuerunt pro obsonio, beta, cucumis, pepo; quibus omnibus æger sanitatem, longiore temporis spatio quoad fluxum vrinæ acrioris spectat, est consecutus.

9. Si quis à dolore corrosiuo mesenterii præter rationem extenuetur, præparato debitis medicamentis corpore, lactis longo vsu restituendus. Inde *filiolum Hegesipolis* prædicto morbo contabescentem infaustis rebus lactis solius vsui commisere medici, sic autem de eo effatur Hipp.

FILIOLVS HEGESIPOLIS.

Filiolum hegesipolis quatuor prope mênses circa vmbilicum dolor erodens detinuit, processu verò temporis intendebatur dolor, ventrem cadebat, vellicabat, calores prehendebant, contabescebat, ossa restabant, pedes intumescebant: Testes, vētris partes ad vmbilicum inflatæ erant, perinde ac quibus aluus conturbari velle videtur, cibum auersabatur. Lac recens solum assumebat & aluus effusa est, aliquantumque cruenta sanies & graueolens subijt, venter intendebatur. Vbi exiguum & paucum pituitæ vomitione reiecisset, ita vt genitale semen esse videretur, mortuus est. 7. Epid.

HIC filiolus dispari sorte ab ægris superiùs scriptis lactis vsui ad nutritionem indulsit. Laborabat dolore corrosiuo mesenterij iuxta vmbilicum à pituita acri & à bile diuulsis venis in illius substantiam è superis corporis locis quatuor mensium spatio decumbentibus, & tandem cum sanguine, citra dubium, in cæcum tumorem effusis, cuius resolutioni impar natura cum processu temporis suppurationem aggrederetur, dolor ita increuit & febris ita inualuit, vt æger præ dolore ventrem cæderet, vellicaret, præ calore febrili contabesceret, solaque ossa sicciori corpori superesse viderentur. Interea facultas naturalis oppressa grauitate mali, langorem & ab eo copiam tenuis humoris contraxit, qua in partes inferas corporis ob situm decliuem recumbente pedes intumescebant, testes, ventrisque partes ad vmbilicum inflatæ erant, non secus ac queis aluus conturbari velle videtur; appetentia præ ventriculi ob tumoris viciniam incalescentis ardore deiecta erat, & ęger cibos auersabatur: At cum, reficiendo inter extremas angustias corpori lac recens solum assumeret, aluus in bilem effusa saniem cruentam & graueolentem subduxit, & vbi æger materiam pituitæ aut genitalis seminis æmulam, & sine dubio purulentam *ex aperto* tumore vomitione reiecisset, è viuis excessit.

19. Quod fluores potissimùm qui contingunt mulieribus ex vtero à colliquatione ducant originem aut eam accersant, ac proinde

lactis vsu longiore curari debeant, non est dif-
ficile assequi ex textu prædicto in quo Hipp.
Quascumque alias infernas colliquationes præter dys- Prorh. 47.
senterias arthriticos iuuare ait. Et certè, cum, 30
Polemarchi vxorem coxæ vehemens dolor diuexaret, 5 Epid.
causa erat (ait Hipp.) *quod menses non prodirent*;
hi enim causam doloris, purgatione calidi per
eos effluentis subtrahebant: sic etiam *epitharmi* Ibidem.
vxori antequam pareret, dissenteria, dolor vehe-
mens, secessus mucosa recrementa, subcruenta; vbi
peperisset, statim sanata est; vt pote reuulsa ex
intestinis ad vterum inferna ventris colliqua-
tione quæ dissenteriam in totum abstulit.

Si ergo fluores preternaturam accidant mu-
lieribus, seu à sanguine, seu à cæteris humori-
bus, lac bubulum, aut asininum, aut aliud
præmissis necessarijs non inutiliter præscribetur.
Hoc docuit Hipp. primùm *in fluore rubro in quo* 2 de morb
sanguis qualis recenter iugulata victima fluit & per mul.
interualla sanguinis grumi quia hic affectus, *lan-*
guidus & lethalis esse, idest, ad tabem perdu-
cere videtur *paucaque ex eo euadunt*, vt ait. Si
enim præmissis alijs remedijs affectio non cesset
paucior sanguis & breuiore tempore fluxerit, lac bu-
bulum crudum aut coctum propinato (ait) *vt oppor-*
tunum esse videbitur, ad id quod probè habet, at-
tendendo. Lac enim præbere *queis ingens sanguinis*
euacuatio facta est, malum. Idem præscribit in
fluore fuluo, in quo post debitam purgationem Ibidem.
& corporis temperationem lac asininũ in vsum
duci debet. Idem suadet in curatione *fluxus* Ibidem.
ibi à pituita & à bile originem deducentis. *Si*

enim mulier natura biliosa aut pituitosa fuerit, ex victus verò ratione & potione medicamentorum attenuata vires colligere nequeat, lac bubulum per quadraginta dies calidum ex vacca assumat, (ait) *pituitosam tamen præstat cibis quàm paucissimis uti, quandiu lac biberit, cuius mensura sit sex haminarum atticarum, initium autem faciendum à duabus, & singulis diebus vna maddat, donec ad sex perueniat, paulatimque ad minorem quantitatem descendat, & post lactis potum, cibis & victus ratione reficito.*

1. de nat. mul. 2 de morb mul. 10. Quia in *vteri allapsu ad latera, agra dolores velut ab vlcere sentiunt & contabescunt,* remedijs debitis pręmissis, *lac bubulum quam plurimum ad dies quadraginta potui exhibeto* (ait Hipp.) *cibis verò quàm mollissimis vtatur.* Idem docet in vteri inflatione.

11. Si quis præter rationem extenuetur in scorbuto, lue venerea & cæteris morbis longis à putredine oriundis, lactis vsus, corpore à prauis humoribus purgato temperatoque, conferre poterit, quod ex professo docet Hipp. dum in affectione cachectica scorbuti æmula quam descripsit sub nomine *conuoluuli sanguinei, & in quo malus odor* Lib de interaff est *expirat ex ore agri, gingiua à dentibus absistdunt, è naribus sanguis effluit, crebra in tibiis erumpunt vlcera, color niger est,* purgato debitis medicamentis, vt par est, corpore, & lactis asinini cocti largiore haustu suppurgato, *lac bubulum per quadraginta dies, si tempestas ferat; cum aqua mulsa tertia parte prascrip sit.*

12. In morbis etiam lienis, maxime in eo quem sub nomine *secundi morbi lienis* descripsit, quia ægri contabescunt, lac bubulum ad plures dies in vsum adducere consueuit Hipp. Idem præscribit in curatione morbi pituitosi, liuidi, nigri vt dictum superiùs à nobis. *Ibidem.*

Sed quid in describendo minutatim lactis vsu diutius immoror in: quocumque morbo ęgri præter rationem extenuantur, si nullum ex supradictis signis adfuerit, lac exhibere ad nutritionem confert.



IN PRIMA PARTE.

PAGINA 4. linea 27, lege firmatur p. 8. l. 26. ingesto p. 11. l. 31. permutatione, lege permixtione. p. 12. l. 5 in venas. 10. *æstatem* p. 20 l. 12. parte. p. 14. l. 3. vmbilicum. p. 21. l. 30. fruticantia. p. 23. l. 30. vterum.

IN SECVNDA PARTE.

PAGINA 4. l. 8. vini. p. 5. l. 2. prædictis. p. 6. l. 5, præterea, 21. exhibeto, 26. decumbant, p. 7. l. 7. *Hunc eneoro* 23. *ad indicationes tendentibus* p. 8 l. 1. *foueris* 21. *exhibeto*, p. 13. l. 5. earundem, l. 8. microcosmi, p. 16. l. 15 copiosius, p. 17. l. 23. malignitati, p. 18. l. 26. *phrenitide* p. 19. l. 28. præcordijs 11. vterum. p. 20. l. 10. qui p. 23. l. 13. internarumque, 25. salubrisne, p. 24. l. 10. dele ad. 31. seipsa, p. 25 l. 23. præscribi 29. alia p. 26. l. 10. suppurationis, p. 28. l. 2. *æstiuumque*, p. 31. l. 7. apponatur, 15. fluat. p. 32. l. 25. solido, p. 41. l. 7. serum, 10. dele vt 12. cætera 26. vigens p. 42. l. 23. associat. p. 43. l. 12. in summo. 30. vere similiter affecto p. 43. l. 3. mutationibus 28. partibus 30. febre p. 46. l. 30. debent lege degunt p. 47. l. 1. negotio 9. ratione. p. 49. l. 7. ob ignis inopiam 23. fouent. p. 50. l. 12. asthma. p. 57. l. 16. arceat. p. 63. l. 8. instituendæ. p. 64. l. 22. *interfæmineo*. p. 78. l. 16. affectionum. p. 80. l. 9 autumno ad nutritionem. p. 82. l. 13. atonia 26. extenuantur. p. 83 l. 32. non cesset. p. 92. l. 6 recitat. p. 93 l. 3. *incoctum* 6 dele in p. 94. l. 5. inualescere. 30. tetano. p. 95. l. 9. nolebat. l. 32. abdere. p. 96, l. 2. *molestia* 10. *cucameralis*.

In pręfatione p. 3. l. 17. *dictant*. p. 3. l. 8, in eo l. 21 situpo.